DE SCENICO SOLILOQUIO

Gallice : MONOLOGUE DRAMATIQUE

IN NOSTRO MEDII AEVI THEATRO

COLUMBARIIS
Ex typis PAULI BRODARD.

DE SCENICO SOLILOQUIO

(*Gallice* : MONOLOGUE DRAMATIQUE)

IN NOSTRO MEDII AEVI THEATRO

THESIM

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI

PROPONEBAT

C.-M. DES GRANGES

PARISIIS

VENUMDATUR APUD AEMILIUM BOUILLON

67, VIA DICTA *DE RICHELIEU*, 67

M DCCC XCVII

DOCTISSIMO VIRO ET BENEVOLENTISSIMO

G. PARIS

hoc reverentis gratique animi munusculum

D. D. D.

C.-M. G.

DE SCENICO SOLILOQUIO

PROOEMIUM

Quantum apud patres nostros, per proximam partem illius temporis quod medium dicitur aevum, diversissimae scenicorum ludorum formae valuerint, nemo jam exstat qui non fateatur. Nam plures, nec non in praecipuis annumerandi, critici, gallicum vetus theatrum et investigarunt et, ut ita dicam, iterum exstruxerunt.

Nobis igitur de illo theatro vel curiosissima mente inquirentibus, nullum patet hujus regionis spatium quod in praesens jam messum et perfossum esse non videatur. Angustus tantum restat locus. — Quaedam enim usque ad nos pervenerunt exigua opera, latine *Sermones jocosi* et *Scenica soliloquia* inscripta, gallice *Monologues dramatiques*, quae, in scena recitata et quasi acta, in comicarum fabularum varietate numerantur. Quorum vir eruditissimus E. Picot locupletem statuit indicem, cui non desunt tum de generis ipsius natura, tum de uniuscujusque operis

significatione, plurimae acutaeque adnotationes [1]. — Ipse, L. Petit de Julleville, in suo comicarum medii aevi fabularum Inventario [2], *Sermones jocosos* et *Scenica soliloquia* inscripsit, inter quae nonnulla ab E. Picot in genus admissa respuit, ut ad scenam non destinata.

Qua de re disserentes, hunc ordinem sequi in animo habemus :

Primum *Sermonis jocosi* strictam definitionem quaeremus; deinde illius diversos fontes variasque formas; — de *Scenico soliloquio*, eadem. — Denique perpendemus annon ex illorum poematorum studio educi possint documenta quaedam, si quis *farsam*, quibus e fontibus orta sit, indagare et explanare velit.

1. *Romania*, t. XV, 1886, p. 358-422; t. XVI, 1887, p. 438-542; t. XVII, 1888, p. 207-275; sub hac designatione : *Le monologue dramatique dans l'ancien théâtre français.*

2. *Répertoire analytique du théâtre comique en France, au moyen âge*, Paris, Cerf, 1886, gr. in-8.

CAPUT PRIMUM

SERMONIS JOCOSI ET *SCENICI SOLILOQUII* VERA DESCRIBITUR FORMA, ET ENUMERANTUR TALI NOMINE DIGNA QUAE NUNC SUPERSUNT POEMATA.

§ I. — De Sermone jocoso.

Illud tantum jure dicitur *Sermo jocosus* poema, quod, ad risum movendum, veri in templo recitati « *sermonis* », *textum*, *divisiones*, *praecepta*, *exempla*, *ultima exhortationis aut salutationis verba*, usurpat et in facetiam vertit. Nescio an ullum exstet genus quod facilius inter cetera agnosci et ad definitionem suam redigi possit. — Cave tantum ne te fugiat, ante omnia, hujusmodi generis *scenica* vis et natura. Nam plurima sunt poemata, in quibus sacrorum verborum hic et illic ridiculam imitationem invenias, quae vero ad lectores, non ad auditores spectant. Semper igitur requires an jocosi praedicatoris persona satis appareat : ipse, et

incipiente et desinente sermone, contionem adloquitur, hortatur, dimittit :

— Bonnes gens, oyez mon sermon... (St Belin. St Hareng.)
— ...... M'entendez-vous? (St Ongnon.)
— Bonnes gens, ces parolles-la
Escript jadis sur une enclume
Le bon sainct Eloy..... (St Frappe-Cul.)
— Mes bonnes gens, parlez plus bas :
Escoutez un peu mon sermon.... (St Velu.)
— Devotes gens, qui cy ensemble
Estes......... (Nemo.)
— Seigneurs, les paroles prédites
Sont en quelque cuisine escrites... (Madame Gueline.)
— Mes bons amys, j'ay entendu
Que l'antechrist est déjà né... (Un fiancé qui emprunte.....)
— Messeigneurs, faites paix. Hola ! (Bien boire.)
— Peuple, qui as icy soupé
En joye et consolation,
Escoute la prédication
Que veult faire frère Gaultier... (Cartier de Mouton), etc.

Atque in ultimis versibus :

— Femmelettes, n'oubliez mie
De vous mettre en la confrarie
De Monsieur Saint Billouart. (Billouart.)
— C'est assez dit pour une fois ;
A Dieu vous command, je m'en vois. (St Faulcet.)
— Pour tant est temps que de ce lieu
Desparte vous disant : a Dieu. (St Jambon.)
— Messieurs qui avès tout migné,
Prenez en gré notre blason
Du testament et fin d'oyson (L'Oyson), etc.

Attamen fit ut, seu prima, seu ultima desint quibus interpellentur auditores verba. Satis est autem praedicatoris

personam, quod caput est, proprio ore nos adloquentem, vel semel, audire. Sed talia si nusquam invenias, licet affirmare non ad scenicam recitationem scriptum fuisse illius generis poema.

Quibus positis, nonnulla sub *Jocosi sermonis* nomine ab E. Picot inscripta opera, cum neque *textum* habeant, neque *salutationem*, in nostro *Inventario* collocare nequimus. Scilicet :

N[i] 13. — *Estrenes de l'Asne*, a Jacobo *de Fonteny* (1560).
— 14. — *Les Barbes et les Brayes* (1425?).
— 15. — *Le Dit du Joly Cul* (1425?).
— 17. — *Le Blason des armes et des dames* (*Coquillart*).
— 19. — *La grand loyaulté des femmes* (1500?).
— 28. — *Le Caquet des bonnes chambrières* (1530?).
— 32. — *Le plaisant quaquet et resjuyssance des femmes pour ce que leurs maris n'yvrongnent plus en la taverne* (1556).
— 33. — *Le Discours demonstrant sans feinte*
Comme maints pions font leur plainte,
Et les tavernes desbauchez,
Par quoy taverniers sont faschez (1556).
— 30. — *Sermon Joyeulx de Bien boyre* (1540).

Ex illo a Petit de Julleville statuto repertorio, unum opusculum evellam, sub n° 230 inscriptum : *L'Invitatoyre bachique*, quod tantum inter liturgicorum cantuum ridiculas imitationes non ad theatrum quadrantes, ponendum esse existimo.

Restant igitur, reipsa *Sermonis jocosi* nomine digna, poemata quorum tituli sequuntur [1].

N[i] 1. — 249. — *Saint Raisin* (1450?). — Montaiglon, II, 112.

— 2. — 245. — *Saint Billouart* (1460?). — Édit. 1595. — Catal. Rothschild, I, 471.

— 3. ———— *Saint Faulcet* (1475?). — Montaiglon, XIII, 289.

— 4. — 244. — *Saint Belin* (1500?). — Édit. 1540. — Catal. Rosthschild, I, 588.

— 5. — 246. — *Saint Hareng* (1500?). — Montaiglon, II, 325.

— 6. — 248. — *Saint Ongnon* (1500?). — Montaiglon, I, 204.

— 7. — 247. — *Saint Jambon et Sainte Andouille* (1520?). — *Joyeusetés*,.... Techener, 1829, IX.

— 8. ———— *Saint Frappe-Cul* (1520?). — Éd. Pinard, 1830.

— 9. ———— *Saint Velu* (1520?). — Éd. 1520. — Catal. Cigongne, n° 711.

— 10. ———— *La Terrible vie, testament et fin de l'Oyson* (1527). — Montaiglon, X, 159.

— 11. — 229. — *Les grands et merveilleux faits du Seigneur Nemo* (1540?). — Montaiglon, XI, 313.

1. Prior illius seriei *numerus* ad ordinem Aemilii Picot pertinet; alter, ordinem memorat quem sequitur Petit de Julleville.

Nⁱ 12. — 252. — *Vie de très haute et très puissante dame, Madame Gueline* (1550?). — Éd. Tricotel, Paris, 1875.

— 16. ———— *Discours joyeux en façon de Sermon* (1480). — Édit. Rouillé, Auxerre, 1882.

— 18. ———— *Les Drois nouveaulx establis sur les femmes* (1490?). — Montaiglon, II, 123.

— 20. — 232. — *Les Maulx que l'homme a en mariage* (1500?). — Montaiglon, II, 5.

— 21. — 234. — *Le ménage et la charge de mariage* (1500?). — Em. Picot et Ch. Nyrop, *Nouveau recueil...* 191.

— 22. — 237. — *La Patience des femmes obstinées contre leurs maris* (1500?) — Montaiglon, III, 261.

— 23. — 222. — *Un fiancé qui emprunte un pain sur la fournée à rabattre sur le temps advenir* (1500?). — Montaiglon, III, 5.

— 24. — 235. — *Sermon pour une noce* (Roger de Collerye, 1505). — Éd. Héricault, 111.

— 25. — 214. — *L'Andouille* (1520?). — Montaiglon, IV, 87.

— 26. — 240. — *Sermon joyeux pour rire* (1530?). — Le Roux de Lincy, I, nº 18.

— 27. — 228. — *Les Friponniers et Friponnières* (1530?). — Montaiglon, I, 147.

— 29. — 219. — *La Choppinerie* (1460?). — B. N., ms. fr., nº 1661.

N[1] 31. — 241. — *Le Quartier de Mouton* (1545?). — Le Roux de Lincy, I, n° 7.

— 34. — . — *Le Dit de Chascun* (1450?). — Montaiglon, I, 218.

— 35. — 244. — *Le Poul et la Pusse* (1480?). — Édit. 1540. — Cat. Rothschild, I, 588.

— 36. — 221. — *L'Entrée de Table* (1520?). — Montaiglon, II, 146.

— 37. ———— *Les Erreurs du Peuple commun. Qui prénostiquent la famine....* (1521). — Montaiglon, XIII, 230.

— 38. ———— *Les Trompeurs trompés par trompeurs* (1525?). — Montaiglon, XII, 333.

— 39. ———— *Les Quinze grans et merveilleux signes nouvellement descendus du ciel au pays d'Angleterre* (1536?). — Coll. Silvestre, 1838, n° 25.

— 40. — 251. — *Les Quatre vens* (1550?). — Le Roux de Lincy, I, n° 4.

— 41. — 236. — *Les Nouveaulx Sots de la Joyeuse bende* (1520?). — Montaiglon, I, 11.

— 42. ———— *Les Sots joyeulx de la nouvelle bende* (1520?). — Montaiglon, III, 11.

— 43. ———— *Sermon joyeux et de grande value. A tous les foulx qui sont dessoubs la nue* (1543). — Viollet-le-Duc, II, 207.

Sic ad nos pervenerunt, ni ego fallor, quatuor et triginta poemata quae *Sermones jocosi* jure appellanda esse mihi videntur.

Tres et quadraginta sibi adhibet et describit E. Picot; Petit de Julleville quinque et viginti.

§ II. — De Scenico soliloquio.

Scenicum soliloquium inscribitur breve quoddam poema, in quo persona comica, seu mores suos candide (ne non dicam obscene) depingit, seu eventum quemdam « cujus pars magna fuit », jocosis verbis enarrat.

In eo igitur constat *soliloquii* nostri scenica vis, ut ille qui recitat, de ipsius ingenio, artibus, artificiis, vivendi aut agendi ratione, facinoribus, miseriis, casibus, facete et ad risum concitandum, loquatur. Quam autem difficile sit nobis *scenica soliloquia* colligentibus, illa tantum retinere quae reipsa ad publicam exhibitionem scripta fuerint, hoc tibi manifesto apparebit si noveris E. Picot et Petit de Julleville de pluribus eorum, eximiis quidem, omnino discrepare. Unus quinquaginta fere poemata pro *scenicis soliloquiis* habet; alter vero, quindecim tantum. E. Picot plurimas de rebus publicis satiras non removet; Petit de Julleville ipsa Coquillardi soliloquia omittit, nedum rusticas aut in sapauda lingua scriptas satiras accipiat. Si vero propriam illius generis naturam sequimur, primo ut amovenda notabimus :

(E. Picot.) Ni 56. — *Le Gaudisseur et le Sot* (1540?). — Viollet-le-Duc, II, 292.

Id. — 45. — *Le Chappelet d'amours* (1450?). — Montaiglon, XIII, 136.

Atque, cum gallici tantum theatri spatium discurrere velimus, omnia poemata rusticorum aut Sapaudorum linguam usurpantia negligere liceat, — quorum plurima, fateor, ad scenicam recitationem scripta sunt. — Multa autem quae Petit de Julleville in Inventario suo non admisit, hic retinenda esse existimo.

Adde, ut de titulis non disputandum sit, quaedam ab E. Picot inter *soliloquia* adnumerata esse, quae *Sermones jocosi* nominantur; non immerito quidem; nam in illis nihil prioris generis invenires, neque textum, neque divisiones, neque salutationem. Eadem igitur designandi ratione utimur; atque hunc *scenicorum soliloquiorum* indicem proponimus :

Ni 44. ———— *La femme mocqueresse mocquée* (1520?). — Montaiglon, X, 269.

— 46. ———— *La fortune d'amours* (1460?). — Du Verdier, I, 698.

— 47. ———— *La Botte de foin* (*Coquillart*, 1460?). — Éd. d'Héricault, II, 204.

— 48. ———— *Le Puys* (*Coquillart*? 1460?). — Id., II, 243.

— 49. ———— *L'amoureux qui, en poursuivant ses amours, demeura trois heures à une fenêtre pendu par les bras...* (*Coquillart*? 1460?). — Ms. La Vallière, nº 185.

— 50. ———— *L'amoureux qui par fortune fut pendu à une goutière, puis à une perche...* (*Coquillart*? 1460?). — Ms. La Vallière, nº 185.

Nⁱ 51. — 218. — *La Chambrière dépourvue du mal d'amours* vel *Sermon joyeux de la Fille esgarée* (1500?). — Montaiglon, II, 245.

— 52. ———— *Sermon joyeux d'un despucelleur de nourrices* (1500?). — Montaiglon, VI, 199.

— 53. — 243. — *Le Résolu* (*Roger de Collerye.* — 1510?). — Éd. d'Héricault, 59.

— 54. — 242. — *Le Ramonneux de cheminées* (1520?). — Montaiglon, I, 235.

— 55. ———— *Une dame fort amoureuse d'ung sien amy* (*Roger de Collerye*, 1530?). — Éd. d'Héricault, 73.

— 57. ———— *Li Diz de l'Erberie* (*Rutebeuf*, 1250). — Éd. 1874, II, 51.

— 58. ———— *La Goutte en l'Aine* (*Rutebeuf*? 1250?). — Éd. 1874, III, 192.

— 59. ———— [L'homme qui sait tout faire] (XIIIᵉ siècle). — Bartsch, *Chrest. prov.*, 209.

— 60. ———— *Les Ditz de Maistre Aliborum* (1495?). — Montaiglon, I, 33.

— 61. — 253. — *Watelet de tous mestiers* (1500?). — Montaiglon, XIII, 154.

— 62. — 231. — *Maistre Hambrelin* (1537). — Montaiglon, XIII, 170.

— 63. — 250. — *Varlet à louer à tout faire* (1575?). — Montaiglon, I, 73.

— 64. — 217. — *Chambrière à louer à tout faire* (1573?). — Montaiglon, I, 89.

N[i] 65. — 220. — *Le Clerc de Taverne* (1530?). — Montaiglon, XI, 46.

— 66. — 223. — *La Fille bastelière* (1540?). — Le Roux de Lincy, I, 1.

— 67. — 239. — *Placebo* (1540?). — Le Roux de Lincy, I, 13.

— 66$^{bis.}$ — 226. — *Le Franc Archier de Baignolet* (1468?). — Viollet-le-Duc, II, 326. — E. Picot et Nyrop, XVII, 47.

— 67$^{bis.}$ ———— *Les Perruques* vel *Le Gendarme cassé* (*Coquillart*, 1470?). — Éd. d'Héricault, II, 261.

— 69. — 227. — *Le Franc Archier de Cherré* (1524?). — Montaiglon, XIII, 18.

— 69$^{bis.}$ ———— *Le Pionnier de Soeurdres* (1524?). — Édit. E. Picot, Paris, Techener, 1896.

— 70. — 216. — *Le Bien et le Mal des Dames* (1530?). — Montaiglon, XI, 176.

— 80. ———— *Le bon Vigneron...* (1595?). — Éd. Rouillé, Auxerre, 1882.

— 81. — 238. — *Le Pèlerin passant* (1509). — Le Roux de Lincy, IV, 58.

— 91. — 233. — *Mémoyre tenant en sa main un monde* (1545). — Le Roux de Lincy, I, 6.

— 92. ———— *Messire Jean Tantost* (1562). — Éd. Lyon, 1562.

— 93. ———— *Suite de Messire Jean Tantost* (1562), *id.*

Duo et triginta igitur *Soliloquia* pro parte nostra retinemus.

CAPUT II

QUIBUS E FONTIBUS PROVENERINT *JOCOSI SERMONES*

Nobis *Sermonis jocosi* initia perspicientibus, tres fontes scrutandi sunt.

1° Imprimis, mos erat in epistulis permiscendi gallica verba latinis, qui usus brevi ad ridiculas sacrarum rerum imitationes vertit.

2° Deinde animadvertere licet *sermonum* ipsorum, qui ad fovendam pietatem pronuntiabantur, vulgarem, familiarem, procacemque dicendi consuetudinem.

3° Denique, ne nos fugiant illi *Sermones* qui ante *Miracula* aut *Misteria* in theatro dicebantur, quos comicarum fabularum scriptores imitati sunt.

§ I. — Quae fuerit « farcia », et quomodo ad ridiculam imitationem verterit.

Constat clericos aut scholasticos, in quibusdam solemnibus *festis* diebus, cum Ecclesiae pace, liturgicis verbis

sermonem vulgarem intermiscuisse. Diaconi, *patroni* sui, Sancti Stephani, epistulam *farserunt* [1]. Legitur in *Suessionensi Ord.* : « Epistulam debent cantare tres subdiaconi indutis solemnibus indumentis : *Entendez tuit a cest sermon* [2]. » Atque *Odon de Sully*, Parisiensis episcopus, haec praecipit : — « Epistula cum *farcia* dicetur a duobus in cappis sericeis [3]. » — In aliis quibusdam festis, cum celebraretur sanctus aliquis quem sibi patronum adhibuerant scholastici, ejusdem generis epistulae eodem ritu cantabantur. Sic exstant Epiphaniae, sancti Joannis Baptistae, Nativitatis, Innocentium, sancti Thomae, sancti Blasii, sancti Thibaldi *farcitae epistulae* [4]. Recentissime in Lemovicina bibliotheca reperit eruditissimus vir L. Guibert *Graduale* quoddam manuscriptum, in quo, inter alia, septem opera inerant gallico latinoque sermone mixta; non solum *sancti Stephani*, *Epiphaniae*, *sancti Joannis Baptistae* et *Assumptionis* hic legendae sunt epistulae, sed etiam *Sanctus* et *Agnus* cum gallica *farcia*. De quibus longam et exquisita scientia refertam edidit L. Guibert dissertationem [5], quam P. Meyer ipse prooemio ornavit [6], et pretiosissimis adnotationibus. Nam in lucem profert Sancti Stephani *farcitas epistulas* in plus quam quindecim codicibus inesse, e diversissimis regionibus ortis. Quod, ut mihi videtur, ad rem nostram pertinet, cum appareat talem usum undique in consuetudinem incidisse.

1. G. Paris, *Littérature française au moyen âge*, Paris, 1890, § 144.
2. D. Martène, *De antiqua Ecclesiae disciplina*.
3. *Hist. littér.*, XIII, p. 108.
4. Cf. Petit de Julleville, *Mystères*, I, 46, nota 1.
5. *Bulletin historique et philologique du Comité des travaux historiques et scientifiques*, 1887, p. 323.
6. *Id.*, *id.*, p. 315.

Citissime autem mos ille utramque linguam miscendi in pejus ruit. Nam Trevericum, anno MCCXXVII, Concilium sic loquitur : « *Item praecipimus ut omnes sacerdotes non permittant trutannos et alios vagos scolares aut goliardos cantare versus super* Sanctus *et* Agnus Dei *in missis, quia ex hoc sacerdos in canone quam plurimum impeditur, et scandalizantur homines audientes*[1]. » Attamen, non finem fecerunt clerici talia canendi; usque ad nostrum tempus viguerunt quaedam farcitae epistulae[2].

Non mirandum est quidem si brevi per illam viam ad sacrarum rerum ridiculam interpretationem accesserit majorum nostrorum ingenuitas. Linguis enim religiose favet populus, dum orationem tantum percipit latinam : omne ignotum pro venerando habetur. Audito repente sermone illo quo ad vitae communem usum quisque utitur, stupescit, subridet, et ipse, quasi soluta fascinatione, propriam vocem cachinnans extollit. Adde quod in illis temporibus ardescit, ut ita dicam, satiricum ingenium quod tot formas sibi adhibuit, et in litteris et in aedificiis. Ut vel obscenas figuras in templorum fronte et columnarum capite effingere non dubitaverunt, ita solent sacerrimis rebus petulantissimos miscere jocos.

Quanquam istam licentiam coercere tentaverunt episcopi, tamen non potuerunt non tolerare quin certis diebus infimi clerici et *scolares* in omnia quotidie honorata et reformidata procaciter et tumultuose reclamarent. Inde ille *Asinorum* et *Innocentium* ludus, quo totum dignitatum

1. Martène et Durand, *Ampl. coll.*, VII, p. 117; Mausi, *Conc. Ampl. coll.*, XXIII, c. 33.
2. Petit de Julleville, *Mystères*, I, 47; L. Guibert, *op. cit.*; *Romania*, II, 95.

subvertebant ordinem, et ridiculos emittebant cantus. Quo de ludo quid scribere possem quod seu in Du Cange *Glossario* [1], seu in recentioribus libris non invenires [2]? Petit de Julleville et Novati omnia, vel minima, documenta collegerunt; non liquet tamen de hac quaestione, quae, ut mihi videtur, subobscura permanebit donec nova et plurima in lucem proferantur exempla. Supersunt tamen, ex illis quasi *Saturnalibus*, facetiae quaedam *Sermoni jocoso proximae*. Nam exstant *Missa de Potatoribus*, *Missa Gulonis*, *Officium lusorum*, de quibus non semel plures jam satis disseruerunt [3]. Immo fertur Oxoniensis quidam archidiaconus, Walterius Map, scripsisse XII^mo^ seculo carmina latina quae inscribuntur : *Predicatio Goliae*, *Apocalypsis Goliae episcopi*, *Confessio Goliae*, *Goliae querela ad Papam* [4]. Crederes quidem Goliam illum, Goliardorum episcopum, fictivam esse tantum facetamque personam. Attamen, anno MCCLXXXIX, gravissimae enuntiantur poenae in clericos vel sacerdotes qui *in goliardia et histrionatu* vitam agunt [5].

Qui *Goliardi*, ut videtur, scripserunt istas Evangeliorum imitationes quibus hi sunt tituli : *Sequentia falsi Evangelii secundum lupum*, *Sequentia secundum marcas argenti*,

1. Du Cange, *Glossarium*, sub verbis *Deposuit...*, *Festum...*, *Kalendae*.
2. Bourquelot, *Office de la Fête des Fous de Sens*, Sens, 1856; — Petit de Julleville, *Les Comédiens en France au moyen âge*, Paris, 1885, p. 29-41; *Id.*, *La Comédie et les Mœurs en France au moyen âge*, Paris, 1886, p. 52. — Novati, *Studi critici e litterari : La Parodia sacra nelle litterature moderne*. Torino, 1889, p. 177-310.
3. *Hist. litt.*, XXII, p. 142; — Th. Wright, *Reliquiae antiquae*, II, 208; — O. Hubatsch, *Die lateinischen Vagantenlieder des Mittelatters*, Görlitz, 1870.
4. Th. Wright, *Biographia britan. lit. anglo-norman period*; — *Hist. litt.*, XXII, 142-156; — Cf. G. Paris, *Littérat. franç. au moyen âge*, § 62.
5. *Hist. litt.*, XXII, 139, 155.

Passio cuiusdam nigri monachi secundum luxuriam (cf. fabellam : *Le Prêtre crucifié*) [1]. Iidem clerici celeberrimas *sequentias*, *prosas*, *preces*... invertunt et adulterant : *Laetabundus*... *Ave color*... *Vinum bonum*... *Invytatoire bachique* [2]... Promptam quoque materiam ad risum praebebant *litaniae*; nam facile erat seu nescio quos jocose inventos Sanctos enumerare, seu contrariis contraria opponere. Legere possis illam *Litanie des Bons Compagnons*, cujus quaeque stropha his verbis concluditur : *Libera nos, Domine*, aut *Te rogamus, audi nos*. Quod opus, tantum anno MDXLV editum, sine dubio longe antiquius est, et, ut solebat, semel atque iterum renovatum est [3]. Ejusdem generis speciem invenies in *De profundis des Amoureux* [4].

Sed ante omnia *Pater* et *Credo*, ut maxime usitatae preces, ridiculae imitationi fuerunt. Plurimae supersunt : *La Patenostre du Vin* [5], — *La Patenostre de l'Usurier* [6], — *La Patenostre de l'Amour* [7], — *Le Credo du Ribaud* [8], — *Le Credo de l'Usurier* [9]. Neque tantum in Gallia, sed apud ceteras gentes, Germanos, Italos, Hispanos [10], talia exstitisse constat.

Tum apparent, — quod ad opus nostrum rectius

1. Novati, *op. cit.*, p. 195.
2. Petit de Julleville, *Répertoire*, nº 230.
3. Montaiglon, *Recueil de poésies françaises des* xvᵉ *et* xviᵉ *siècles*, VII, p. 66.
4. *Id.*, *ibid.*, IV, p. 206.
5. Jubinal, *Jongleurs et Trouvères*, Paris, 1835, p. 69.
6. Barbazan et Méon, *Fables et Contes*, IV, 106.
7. *Id.*, IV, 441.
8. *Id.*, IV, 445.
9. *Id.*, IV, 99.
10. Novati, *op. cit.*, p. 209.

attinet, — de quibusdam sanctis ridiculosi sermones. Jamdudum mos erat praecipuorum sanctorum vulgari lingua et versibus scribere vitas. Quae, quamvis ad eorum laudes extollendas et eximia proferenda exempla tantum destinarentur, non tales tibi effingendae sunt quales apud nos exstant praesentes ejusdem generis *Vitae*. Nam ingenua illius aetatis pietas quaecumque vel inepta et ridicula de uno aut altero sancto narrarentur libenter et curiose accipiebat; ita ut fere in omnibus appareat nescio quae sacri et profani mixtura [1]. Tum faceti clerici quidam hos *Sermones* edunt : *Sainct Bacchus* [2], *Sainct Tortu*, *Sainct Gourdin* [3], *Sainct Oyson*, quibus non tantum *Sanctorum* vitas imitantur, sed etiam *Bestiarios*.

Inter illas facetias, aliae statim ad publicam recitationem scriptae sunt, ut ludos clericorum et scholasticorum ornarent; alias autem composuit clericus aliquis facetus ut ipsius et amicorum mentem recrearet, quas postea clericus alter aut poeta ad scenam accommodavit. Cujus rei exemplum certum habemus in de *Nemine* sermone. Exstat enim et *Sermo jocosus* ille qui inscribitur *Les Grands et Merveilleux faicts du seigneur Nemo*, et quasi hujus sermonis jocosi prior et nativa forma, quam ediderunt Wattenbach et P. Meyer [4]. Sine dubio, sic soluta oratione scripti multi primum apparuerunt jocosi sermones, quos *Stulti* deinde versibus mandaverunt. Wattenbach hos edidit : *Sermo seu Dictamen contra abstinentiam seu jejunium* ;

1. Cf. G. Paris, *Hist. de la litt. fr. au moyen âge*, § 144, 146, 147, 149.
2. *Hist. litt.*, XXIII, p. 495 ; *Joyeusetés, facéties*, Paris, Techener, 1829-34.
3. *Hist. litt.*, XXIII, p. 493.
4. Montaiglon et Rothschild, *op. cit.*, XI, p. 313.

Lectio Danielis prophetae; *Sermo non inelegans de Sanctissimo Fratre Invicem* [1].

§ II. — Ipsum dicendi praedicatorum genus saepius jocoso Sermoni propius accessisse.

Is quidem longe erraret qui *Sermonis jocosi* irreverentiam et licentiam illis orationibus sacris conferret quas nosmet ipsi in templis exaudire aut in oratorum libris mirari solemus. Etenim si, Bossueti *sermonibus* perlectis, subito *sermones* illos in manibus versabis, *saint Oyson*, *saint Faulcet*, *l'Andouille*, *la Choppinerie*, etc., e sublimitate ad inurbanitatem deductus, e gravitate ad obscenitatem, exclamabis et, non immerito, in majores nostros vehementer effervesces. — Sed oculos verte ad orationes quae, a XIII^mo^ seculo usque ad XVI^um^ extremum, in templo, ab ipsis sacerdotibus aut monachis, pronuntiabantur; non jam stupebis nisi de una re : tantam scilicet licentiam in cathedra impune viguisse. Quod quidem illis temporibus omnino necessarium fuisse videtur, ad attrahendos auditores et retinendos.

Quanta fuerit sacrorum oratorum procacitas, quo modo divinis rebus et verbis profana *exempla*, fabellas, facetias miscuerint, ex eorum libris cognoscere licet qui materiam illam separatim tractaverunt [2]. Pauca tamen nobis hic

1. Montaiglon, XI, p. 328.
2. *Hist. litt.*, XXI, XXII, XXIV, XXV, XXVI, XXVII, XXXI, *passim*; — Lecoy de la Marche, *La Chaire française au moyen âge*, 2e éd., 1886; — Bourgain, *La Chaire française au XIIe siècle*, 1879; — cf. *Histoire de la Langue et de la Littérature française*, Paris, Colin, 1896, II, 217 (auctore A. Piaget, qui omnes de hac re editos libros indicat, p. 269-270).

sunt proferenda. — Guillelmus Monstroliensis de matrimonio pessimo sic loquitur :« ... Trufa est, frater; ita bene potes te damnare in tali matrimonio sicut in bordelagio »[1]. Raimundus de Bretis (*de Brette*) his verbis utitur : « Aliqui sunt similes pueris tiniosis, qui ad matrem vel magistram vocantem ut mundet, curet tiniam, scabiem, nolunt venire, nisi coacti, tracti et verberati[2] ». Daniel Parisiensis de *Ave Maria* vix credibilem edit interpretationem[3]. Constat, ne plura dicam, omnes fere qui XIII^mo^ et XIV^mo^ seculis praedicationem egerunt, Jacobum de Pruvinis[4], Guidonem Stampensem[5], Aegidium Leodiensem[6], Henricum de Pruvinis[7], Joannem de Palma[8], qui inter eximios eminuerunt, continuo seriis faceta vel ridicula miscuisse verba, et saepius usos esse protervis *exemplis*. Quae *exempla*, ut scis, *fabellis* et ipsis *farsis* non semel sunt proxima, et a gravitate evangelica omnino abhorrere nobis videntur. Plurima collegerunt Jacobus de Vitriaco[9] et Stephanus *de Bourbon*[10]; quibus addere potes illa quae ediderunt TH. WRIGHT[11], P. MEYER[12], B. HAURÉAU[13]. Atque

1. *Hist. litt.*, XXV, p. 406.
2. *Id.*, XXVII, p. 163.
3. *Id.*, XXVI, p. 425.
4. *Id.*, XXV, p. 409.
5. *Id.*, *id.*, p. 411.
6. *Id.*, *id.*, p. 415.
7. *Id.*, *id.*, p. 418.
8. *Id.*, XXVII, p. 153.
9. *Exempla magistri Jacobi de Vitriaco optima ad praedicandum*, ed. a Crane, Londres, 1890.
10. *Tractatus de diversis materiis praedicabilibus ordinatis et distinctis in septem partes secundum septem dona Sp. sancti*; ed. a Lecoy de la Marche, Paris, 1877.
11. Th. Wright, *A selection of latin stories*; Londres, 1842.
12. P. Meyer, *Notice sur un Recueil d'Exempla* (*Notice et extraits*, t. XXXIV, 1re partie, 399-437), Paris, 1890-92.
13. *Hist. litt.*, XXIX, 546-551.

cum tantam licentiam in praedicatorum *exemplis*, in *Miraculis*, in *sanctorum vitis* inveniamus, non miramur quod *fabellarum farsarumque* scriptores maxima libertate usi sint. Num putares te in templo auditurum esse fabellam *De Muliere qui festucam saltare non vult*? aut illam : « Clericus quidam habuit quamdam caniculam, quam multum diligebat, et nomen ei imposuit Rosam, et unum opus sibi didicit, scilicet ambulare super pedes anteriores... » [1]? Sed, si vis, *Exempla* Stephani *de Bourbon* evolve. Sub titulis *De beata Maria* (105-140), *De Tentatione* (222-224), *De luxuria* (448-474), *De Vitiis gulae* (476-482), quam multa leges quae nostris temporibus omnino respueret sacrae eloquentiae tristitia et gravitas! Adde quod non semel totius sermonis *thema* et structura *ad jocosum sermonem* propius accedit. Nam *Aegidius Columna* (seu *de Roma*) scripsit quemdam sermonem *De Arca Noe* [2], quem libenter putares ridiculam esse imitationem.

Quid? nonne medii aevi praedicatores et ipsi in sermonibus suis *farciam* fecerunt? nonne temere et inepte utramque linguam miscere solebant? — Haud ignoro de illa quaestione disputare eruditissimos viros; alii enim affirmant nunquam praedicatores tali mixtura in sermonibus illis quos ad populum recitabant usos esse, sed tantum ad orationem praeparandam; alii haud aliter quidem sentiunt de quibusdam sermonibus, putant vero plerosque eorum non totos vulgari lingua, sed nunc latine, nunc gallice, ut in codicibus apparent, pronuntiatos esse. Optime totam quaestionem breviter complexus est A. Pia-

1. *Hist. litt.*, XXXI, p. 59; — cf. XXIV, 363-382.
2. *Id.*, XXX, p. 501.

GET [1], qui et ipse existimat multos sermones utraque lingua scriptos, tales ad nos pervenisse quales reipsa ab oratore in cathedra prolati sint. Cujus in sententiam eo. Nam illae orationes *de Nuptiis Canae* et *de sancta Magdalena* quas commentaverunt P. PARIS et A. PIAGET, ad unicam linguam redigi non possunt [2]. Quid dicam de Michaelis *Menot* orationibus sacris? Putasne auditores non omnino paratos fuisse ad sermones jocosos in theatro aut in plateis probandos, cum haec verba in templo accepissent : « Postquam omnia fuerunt dissipata cum meretricibus, lenonibus, histrionibus et assatoribus, *les rotisseurs*, quando vacua fuit bursa et amplius nihil erat fricandum, *et qu'il n'y avait plus rien à frire*, capitur pulchra vestis domini bragardis, caligae, bombicinium; quisque secum ferebat petiam *de Monsieur le bragard, chausses et pourpoint, chacun en emportait sa pièce*... etc. » Longius processit *Ol. Maillart*, in sermonibus seu tantum gallica lingua seu utraque scriptis [3]. Inde non immerito queritur Henricus Stephanus quod illius aetatis praedicatores « *convertissent en vraies farces les sacrées paroles de la Bible* ».

Illis *jocosis Sermonibus*, de quibus disserimus, argumentum novum, neque despiciendum, affertur iis qui, ut P. PARIS, J.-V. LE CLERC, B. HAURÉAU, A. PIAGET, *farcitas* fuisse sacras orationes asseverant. Auditores enim, quorum in mentibus viget et ardescit satiricum ingenium

1. *Histoire de la littérature*, Colin, 1896, II, p. 218-229.
2. *Hist. litt.*, XXI, p. 313; — *Histoire de la littérature*, 1896, II, p. 224.
3. *Les œuvres françaises d'Olivier Maillard*, éd. Arthur de la Borderie, Nantes, 1877; cf. p. 7, 31, 107, 108, 129.

quasi vernaculum, praedicatoris dicendi rationem, eloquendi genus, narrandi modum, et, ut opinor, gestum, vocem, omnia denique in ridiculum vertunt. Unius et alterius *jocosi Sermonis*, si plures ad nos pervenissent sacrae orationes, primum exemplum in sermonibus ad pietatem fovendam aut ad mores incusandos pronuntiatis invenire posses. — Constat *La Patenostre à l'usurier* e sermone quodam Roberti *de Courçon* ortam esse. Recentissime demonstravit A. Piaget[1], quae qualisque esset illa Chanson piteuse quam ipsi *O. Maillart* diutius imputaverunt critici nostri. Dictitabant praedicatorem media oratione sua hos versus cecinisse. Sed in Vindebonensi quodam codice hunc titulum forte nactus est A. Piaget : *Chançon sur ung sermon faict par maistre Olivier Maillard, cordelier de l'Observance, sur le chant de Bregierette savoyenne.* Inde ceteri codices, et typis mandati libri, false : *Chanson piteuse* composée par *frère Olivier Maillard, en pleine predication, au son de la chanson nommée : Bergeronnette savoisienne, et chantée à Toulouse, environ la Penthecouste par ledit Maillard, luy estant en chaire de prédication. L'an mil cinq cens et deux. Et bien tost après trespassa*[2]. Haud dubium est, si versus conferas *sermoni* qui Brugensis dicitur, illam *Chanson piteuse* ab aliquo poeta scriptam fuisse ut praedicatorem irrideret.

Libet affirmare non alia ratione plerosque sermones jocosos in faceti alicujus auditoris mente natos esse, cum praedicatoris exempla eo magis ridicula esse sentiret quo sacris rebus ineptius miscerentur.

1. *Annales du Midi*, t. V, 1893, p. 315.
2. Montaiglon, *Recueil*, VII, p. 143.

§ III. — De « Sermonibus » ante « Misteria » aut « Miracula » in theatro recitatis.

De illis sermonibus non est dicendum qui in ipsam fabulam inseruntur et quos, nisi fabula quasi discissa, seducere non posses. In *Juliani Libaniique* ludo (*L'Empereur Julien et Libanius*), sanctus Basilius non spectatores quidem sed *personas*, Urbis cives, adloquitur [1]; in *Theodora* (*La Femme moine*) jam peccavit puella, et audito *sermone*, ad poenitentiam vehementer attrahitur [2]; ejusdem generis sermones invenis in Miraculis quae gallice inscribuntur : *Barlaam, Josaphat et le Roi Avenir* [3], et *l'Impératrice de Rome* [4].

Sed ante ludum, recitabatur sermo quidam, ab histrione, vel potius a clerico aut scholastico aliquo, praedicatoris personam usurpante et fortasse vestitum. In *Miraculis*, sermones illi non versibus, ut ipsa fabula, scribuntur; attamen, ultimum verbum cum primo fabulae versu consonat (seculorum = *benéiçon*; — *plaisir* = *désir*; — secula = *entendre sa*; — *sans fin* = *fis vin*; etc....). Itaque quotiescunque in codice *Sermo* deest, primus apparet versus quasi incomitatus; nam sic incipit *Eques* ille *qui mulierem Satano dedicavit* :

1. *Miracles de Notre-Dame*, G. Paris et M. Robert, II, p. 171; cf. Petit de Julleville, *Mystères*, II, 254.
2. *Id.*, III, p. 69; cf. P. de J., *Mystères*, II, 269.
3. *Id.*, III, p. 241; cf. P. de J., II, 278.
4. *Théâtre français au moyen âge*, Monmerqué et Michel, p. 365; cf. P. de J., II, 294.

Dame, vous povez bien sçavoir
Que Fortune m'a biens donné
Et qu'el m'a tresor amené [1]....

Quaedam tamen exstant Miracula in codicibus *Sermoni* subjecta, quorumque primi versus inter se sonitu aequiparantur [2]. Ex quo asserere licet *omnes* hujus generis ludos sermone quodam ornatos fuisse.

Ad *Misteria* si respectamus, *praedicatoris* persona ante ludum ipsum semper loquitur, graviter quidem, sed versibus [3]. *Arn. Greban* de Redemptionis necessitate longum scripsit sermonem, cujus in fine sex et viginti versus ad silentium petendum adduntur [4]. Joannes *Michel* orationem non cathedra indignam composuit, hoc *textu* auditoribus proposito : *Verbum caro factum est*, quem *textum* mille versibus explicavit [5].

His verbis incipit *sancti Laurentii* misterium :

En nom du Père, et du Filz,
Du Sainct Esperit en unité,
Entendez tous grands et petits [6]...

Atque *sancti Sebastiani* primi versus :

Le Dieu qui fict le firmament
Et volsist naître purement

1. Viollet-le-Duc, *Ancien Théâtre français*, III, 425, *Le Chevalier qui donne sa femme au diable.*
2. *Saint Valentin, saint Pantalon, saint Guillaume du désert, Le Marchand garanti.*
3. Cf. Émile Picot, *Romania*, XV, 358. « Il nous suffira de rappeler, à titre d'exemples, les sermons qui précèdent le *Mistère de la Passion* et le *Mistère des Actes des Apostres.* On peut comparer le prologue récité par l'*angelo* au début des *rappresentazioni* italiennes, et la *loa* des Espagnols. »
4. Petit de Julleville, *Mystères*, II, p. 400.
5. *Id.*, II, p. 441.
6. *Id.*, II, p. 525.

De la noble Vierge Marie
Vueille garder la compagnie [1]...

Sancti Stephani misterium similibus verbis ad auditores utitur :

Dieu, Père et Filz et saint Esperit,
Sauve et gart ceste compaignie !
Vous savez qu'onques ne perit
Qui servist la vierge Marie ;
Car grand joye a, et grant délit
Quand de bon cuer on la deprie.
Sy pry que chascun s'umilit,
En disant une AVE MARIE.
Cy dist a genous : AVE MARIA [2].

Cum desinit ludus, iterum apparet *Praedicator*, et pauca spectatoribus verba refert.

Sancti Genesii mysterium sic concluditur :

LE PRÉDICATEUR.

Quand viendra le jour de sa feste
Que vous faittes très bonne chiere
De ly faittes telle prière
Que le vray Dieu en gré la prengne.
Allés chacun à sa besoingne,
Au nom du Pere et du Filz
Et du benoit Saint-Esperit [3].

Omnia, ne plura dicam, *Misteria*, illis precibus ad Deum, ad spectatores salutationibus et gratiis, finem faciunt. Atque si attendès, *jocosorum Sermonum* primis et ultimis versibus easdem incipiendi et desinendi formas

1. Petit de Julleville, II, p. 558; cf. p. 561.
2. *Id.*, I, 246.
3. *Id.*, II, 521.

invenies. Nam comica scena sacri theatri mores et artificia usurpavit. In *moralitatibus* primum, ut in Misteriis, loquitur *Praedicator*, non adhuc jocose, licentius tamen, et magis ad fabulam subobscuram aperiendam quam ut spectatorum pietatem foveat :

LE PRESCHEUR.

Homo quidem erat dives qui induebatur purpura et histo et epulebatur quotidie splendide. Scribitur Luce, XXII. cap.

Mes chères gens, ceste parolle
Que nul ne doibt tenir pour folle,
Que j'ay cy devant proposée,
Dessus l'évangile est trouvée.
. . . .
Nous dirons tous sans arrester
Le salut que l'ange apporta
Quant luy dit AVE MARIA.
Homo quidem erat dives, etc. [1].

Sequitur fabulae explicatio; post quam sic sermonem absolvit praedicator :

Mais qu'il vous plaise de vous taire
Sans faire noise ne content,
Affin que cest esbatement
Se puist parfaire et accomplir
Ainsi que nous avons desir.
Priez pour moi, je vous en prie ;
Dieu vous gart tous de villennie.
Commence qui doibt commancer [2].

1. Viollet-le-Duc, *Ancien Théâtre français,* III, 267 (*La vie et l'histoire du Mauvais Riche*).
2. *Id.*, III, p. 270.

Non alia ratione neque aliis fere verbis loquitur *Praedicator*, incipiente *moralitate* « De Caritate ».

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.
Charitas patiens est, benigna est.
Ad Corinthios, xiij. cap.
Et à celle fin que puissons dire
Chose qui soit bonne et utile,
La grâce Dieu demanderons ;
Mais avoir ne la pourrions
Sans celle qui en est trésorière.
... Et pour ce lui présenteron
La noble salutation
Que Gabriel lui présenta
En disant : Ave Maria.
Charitas patiens est, benigna est [1].

In media fabula, alter sermo, longior quidem, introducitur, quem ad populum recitat nescio quis *Religiosus* :

le religieux, parlant au peuple.
Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.
Benoitz soyent tous ceulx qui orront
Et qui de bon cueur entendront
Les parolles que je veulx dire..., etc. [2].

Sermones quos jam protulimus nullo modo res sacras in ludibrium vertunt. In *Moralitate* quae *La Condamnacion de Bancquet* inscribitur, primum *Doctorem Prolocutorem* audimus :

le docteur prolocuteur commance.
Non oculus saturatur visu,
Sed nec auris impletur auditu.

1. Viollet-le-Duc, III, p. 337-338.
2. *Id.*, III, p. 394.

Ecclesiastes, primo capitulo :
Non saturatur oculus visu.

Sequuntur gallici versus, *strophis* dispositi, qui non risum movent [1]. Sed, desinente fabula, nova persona apparet (*Le Beau-Père confesseur*) quae *jocosum* vere *sermonem* pronuntiat :

Gens crapuleux qui toujours gourmandez,
Et demandez viande délectable..., etc. [2].

Denique longius procede, atque ultimam et omnino ridiculam obscenamque sermonis formam habebis : nam incipiente *Farsa* cui titulus est *Frère Guillebert*, sic *Frater* loquitur :

FRÈRE GUILLEBERT commence.
Foullando in calibistris
Intravit per boucham ventris
Bidauldus, purgando renes.
Noble assistence, retenez
Ces mots pleins de dévotion;
C'est touchant l'incarnation
De l'ymage de la brayette, etc. [3].

Textus rursus et iterum adducitur, ut in sacra oratione. — Haud dubium est igitur morem recitandi sermones in theatro, ad *Misterii* ludum quasi in Ecclesia retinendum, imitatores excitasse jocosos qui, prudenter in *moralitate*, licentius in *farsis*, illius jam scenici sermonis formam secuti sint. Sed *Misteriorum* scriptores sibi ipsi crimen inferre potuissent. Nam saepe gravissimis tristissimisque

1. P.-L. Jacob, *Recueil de farces*, Paris, 1876, p. 273.
2. *Id.*, p. 428.
3. Viollet-le-Duc, *op. cit.*, I, p. 304.

rebus jocosas res miscere non dubitaverant : in nonnullis *Misteriis* apparet *Stultus* qui ineptias facetiasque suas temere emittit [1]. Sed Em. Picot majorem quam decet, ut mihi videtur, locum praebet *Stulto* illi, cum de *Sermonis jocosi* fontibus disserit [2]; *Stultus* enim sacrae orationis artibus non utitur.

1. Petit de Julleville, *Mystères*, I, p. 232; II, 413, 483, 490.
2. *Romania*, XV, 359. Optime vero haec addit : « Dans les *Chester Plays*, le sacrifice d'Abraham est précédé d'un prologue comique récité par Gobet on the Green. »

CAPUT III

QUAE SIT *SERMONIS JOCOSI* ARS ET STRUCTURA

§ I. — **De textu.**

Quaedam e sacris libris verba hauriunt plerique *Jocosorum Sermonum* scriptores; ceteri latinum aliquem *textum* effingunt, cujus figura tantum et species ad praedicatorum usus nos reducunt. Utrumque genus perpendamus.

Priores risum movent contraria contrariis opponendo. Pronuntiatis enim sacris verbis, non faceta consilia neque obscena exempla, sed graviora audire solemus.

E *Missae officio* haec extrahuntur verba :

Jube me benedicere.
Introivit in tabernaculo....

Deinde sancti *Billouart* enumerantur virtutes et gesta [1].

1. E. Picot, n° 2.

In psalmis (XLIV, v. 11), legitur *Audi filia et vide...* Quem textum usurpat *R. de Collerye* ut de nova nupta usitatas exponat facetias[1]. Utitur poeta ad vinum laudandum his verbis : *Qui bibunt me adhuc sitient* (Eccl. XXIV, 29)[2], — *Bibite et comedite, Mathaei undecima, secunda*[3]. Qui sermones, ut mihi videtur, inter vetustissimos (forma vero renovata non semel fuit) numerari possunt. Nam clericorum et scolasticorum hic viget satiricum facetumque ingenium, ut in illis carminibus quae inscribuntur *Invitatoyre bachique* et *Martyre de saint Bacchus*.

Aliquando, *textus* ille nullo modo ad sermonis materiam pertinet. Nescio an jocosi scriptores in ridiculum vertere voluerint praedicatores illos quorum textus cum sermone minime congruit? Sic incipit poeta qui de *Nemine* scripsit : *Audite verba mea et vivet anima vestra. Esaye*, LV, 4.

> *Esaye escrit en son livre*
> *« Escoutez, se vous voulez vivre »*[4].

Sed illa verba nihilum *Sancto Nemini* proprie apta esse videntur, neque exstat ullus sanctus cujus gesta et virtutes eodem modo non laudare posses.

Quo in sermone, post aliquot versus, novus apparet latinus *textus*; nam eo magis ridiculam imitationem sentit auditor, quo saepius inter jocosas aut obscenas res apparent sacra verba.

1. Roger de Collerye, *Œuvres*, éd. Héricault, p. 111; E. Picot, n° 26.
2. E. Picot, n° 29.
3. Viollet-le-Duc, II, 5; E. Picot, de illo textu : « Ces mots réunis ne figurent pas dans l'Evangile de saint Mathieu. Cependant on peut y voir une allusion fort irrévérencieuse aux versets relatifs à la communion du Christ. Matth., XXVI, 26, 27 » (n° 30).
4. Montaiglon, XI, p. 314: E. Picot, n° 11.

Sunt qui vel in ipso textu, latine quidem, jam profana sacris miscent :

Ad deliberandum Patris
Sit sanctorum Ongnonnaris
Et Filius Syboularis
In ortum sua vita...
Capitulum : M'entendez-vous ?[1]

Et :

In nomine Bachi Sileni
Matrimonia matrimonia
Mala producunt omnia [2].

Quae verba amplius proferuntur, sic :

In nomine Bachi et Ciphi atque sancti Doli. Amen.
Ve qui sapientes estis in oculis vestris.
Hoc verba Esaye originaliter quinto capitulo scribuntur et recitative ad nostre collationis fundamentaliter exordium assumentur [3].

Atque quindecies eodem textu farcitur ille sermo. Non semel gallica latinis miscentur verbis :

In nomine Patris prima
Et Filii secunda,
Barba pota baston ;
J'AYME *Regina celorum*
In hoc presenty opere,
Le sens d'un Caiton inspiré,
Avecque l'engin d'une buche,
Qui soyt desoublz ma capeluche !

1. Montaiglon, I, p. 204; E. Picot, n° 6.
2. *Id.*, II, p. 5; E. Picot, n° 20.
3. Viollet-le-Duc, II, p. 207; E. Picot, n° 43.

Omnya subjesisti sub pedibus ejus, oves et boves. Hec verba generaliter desimo sunt capitulo[1].

In nomine Patris, et Filii et Spiritus sancty. Amen.
Quator Ventus de Mondo
Faciunt mirabilia
JE DIS, *in diverso modo*[2].

Saepe hanc versificandi formam sibi adhibet poeta, quae *triolet* dicitur :

In nomine Patris, SILENCE,
Seigneurs et dames, je vous prie,
Car je n'ai pas haute loquence;
In nomine Patris, SILENCE!
Je vous feray cy en presence
Un sermon de friponnerie :
In nomine Patris, SILENCE,
Seigneurs et dames, je vous prie[3].

Vel ad magis jocosam, ne non dicam sacrilegam, facetiam pergunt :

IN NOMINE *de la main gauche*
PATRIS, *aussi bien que de l'autre*,
ET FILII, *ainsi qu'est escript*,
Le croy, au chevet de mon lit.
Quoniam sanctus Johannes bonus,
Si cantitur alleluya,
Fit nobis sancta Andoulla,
Quoniam sanctus Johannes bonus.
ISTA VERBA *si sont des nues*
Descendus jusque icy en terre[4]...

1. Le Roux de Lincy, I, n° 17; E. Picot, n° 26.
2. *Id.*, I, n° 4; E. Picot, n° 40.
3. Montaiglon, I, p. 147; E. Picot, n° 27.
4. E. Picot, n° 7.

Fit ut omnino latinam linguam derelinquant, sic incipientes :

Au nom d'un cartier de mouton.
Pour faire branler le menton,
D'une andouille à la cheminée,
D'un hastelet, d'une échinée,
D'un bon pot de vin de Bourgogne [1]...

Cui textui conferre possumus hanc *precem* quae legitur in primis versibus faceti illius poematis : *Le grand testament de Taste-Vin, roy des Pions* :

Ou nom du pot, ou nom du verre,
Ou nom de la grosse boteille,
A qui, comme bien povez croire,
J'ay maintes fois tiré l'aureille [2]...

Alteri autem, ut dixi, nihil e sacris libris hauriunt; sed profana verba seu omnino latine scripta, seu gallicis mixta, pro *textu* eligunt :

Graticulus Harengio
Super ignem tribulatio
Vinaigria, sinapium [3].

Aut :

Quaeritur utrum capones
Vel galinae meliores
Sint in brocca quam in poto,
Cum herbis soupa et lardo [4]... *etc.*

Apparet igitur qua varietate usi sint *Sermonum jocosorum* conditores, cum ad facetias suas aptum textum quaesive-

1. Le Roux de Lincy, I, n° 7; E. Picot, n° 31.
2. Montaiglon, III, p. 77.
3. *Id.*, III, p. 325; E. Picot, n° 5.
4. E. Picot, n° 12.

runt, quantaque libertate illis temporibus sint donati. Qui, ut opinor, ingenue et candide scripserunt. Mox autem Lutherii et Calvini fautores illum periculosum jocandi morem usurpaturi erant, ad Ecclesiae cerimonias et preces in ridiculum vertendas [1]. Altera ex parte, sacra verba eo modo elegerunt et inter gallicos versus disposuerunt illi scriptores qui seu eventum quemdam aut casum deplorare voluerunt, seu in aliquem hominem satiricos spargere libellos [2].

§ II. — Qua ratione explicetur TEXTUS, et quae sint SERMONIS JOCOSI diversae formae.

De faceto aliquo sancto si loquitur *praedicator*, illius enumerantur virtutes, casus, miracula. Quidam ejus generis sermones perantiqui esse videntur; clericorum plebisque risus, in illis quos supra memoravi ludis, excitaverunt. Sed, ut in Schola dicebant, *distinguo*. Nam sermones illos a clericis recitatos fuisse existimo qui *saint Raisin*, *saint Faulcet*, *saint Belin*, *le seigneur Nemo*, *saint Haren*, *saint Ongnon*, *dame Gueline*, inscribuntur. Joculatoribus autem, vel poetis qui ad theatrum comicum alendum componebant, illos tribuerem quibus tituli sunt : *l'Andouille*, *Frappe-Cul*, *saint Velu*... etc.; quamvis constet ipsum Molinet, gravem illum canonicum, composuisse obscenissimum istiusmodi poema (*saint Billouart*).

Attamen sententiam meam aperire non erubescam :

1. De quo, cf. Novati, *op. cit.*, et imprimis : Lenient, *La Satire en France au* XVIe *siècle*. Paris, 2 vol.
2. Tibi satis erit evolvere, Montaiglon, *Recueil*... 13 vol.; et Fournier, *Variétés historiques*... 10 vol. (Bibl. Elzév.)

priores *sermones*, innocentes quidem et honesti, inter ineptissima scripta manent; alteri, impudici et pudendi, acutiore forma valent. Quod fere de omnibus illius aetatis operibus affirmare licet. Virtutem, credo, sequebantur majores nostri ; vitia autem et obscenitates vividius expresserunt.

Exemplum proponam, si vis, sermonem *De Nemine*. Nescio quis clericus omnes *Scripturarum* locos operose collegit in quibus *Nemo* legitur, quos commentario nexuit[1]. Ad nos pervenit illa, sermone pedestri, latine scripta oratio. Primis perlectis verbis, facetiam jocosam esse fateris; sed duobus, tribus, sex paginis evolutis, et semper quasi stipato agmine decurrunt *textus*. Tandem finem facit clericus : « *Infinitis autem aliis virtutibus pollet et laudibus iste sanctus Nemo, quas ne vos audire tedeat...* » De quo quidem subridemus. Nos autem ne fugiat quos auditores adloqueretur. Haud ignoramus quantum valeant, apud scholasticos aetatis nostrae, quaecunque de omnibus inter quae quotidie versentur, jocose recitant : de magistris, de libris usitatis, de studiorum judiciis... Cum igitur in sermone *De Nemine* tot facetias de una re inveniamus, affirmare possumus illum apud clericos tantum habuisse plenam significationem. Existimo non aliunde natos esse sermones ceteros : *saint Faulcet*, *saint Belin*, etc., qui primum a clericis sine numeris scripti, postea ad rythmicam formam sunt redacti.

Postquam autem non in clericorum festis, sed in theatro, ante comoediae ludum, pronuntiatus est *Jocosus Sermo*,

1. Montaiglon, XI, p. 314.

necesse fuit et res ipsas et imprimis rerum ordinem formamque mutari. — Quid apud plebem valuissent *sancti Ognonis* aut *Neminis* gesta? quid *sancti Belin* aut *sancti Haren*? — Tum, ut mihi videtur, floruerunt sermones de mulieribus, et illi praecipue qui obscenas res explicant; in quibus non eamdem disserendi rationem inesse animadvertere potes. Nam risum movebant clericorum facetiae qui sacrorum verborum sensum deterrebant a gravitate ad ridiculum. Nunc autem inseritur in sermonem pars quaedam nova, narratiuncula scilicet aliqua, non e sanctorum *legendis* expressa, sed ex illo vulgarium et popularium fabellarum thesauro exprompta qui a XIII[mo] seculo usque ad XVII[mum] a tot tantisque scriptoribus in omnibus Europae regionibus quasi semper de integro effossus est. Quo puncto quidem *Sermo jocosus* cum *Scenico soliloquio* congruit. Sed, dum in soliloquio persona ipsa proprios enarrat casus, praedicator in *sermone* fabellam suam ut *exemplum* profert et aliorum non sui describit habitus et mores.

Vera fabella legitur in fere omnibus illis sermonibus qui usitatas obscenitates de amore et mulieribus proferunt. Inter omnia, exemplum primum eligo *Sermonem* qui inscribitur : *Sermon joyeulx d'un fiancé qui emprunte ung pain sur la fournée à rabattre sur le temps advenir*, in quo non obscure apparent et sacri textus ridicula imitatio et scenica forma. Postquam enim *textum* latinum recitavit praedicator (*Putruerunt et corrupte sunt*), et facetias nonnullas de illis verbis edidit, haec addit :

Or ça, chascun tende la main
A la bourse; il en est temps.
Je vous diray comme j'entens

Ung exemple bien propice;
Car nul homme ne vit sans vice.
Racompter vous vueil et déduire
Une histoire pour bien rire... etc.

Tum incipit narrationem; atque si *textus* non rursus enuntiaretur, si sermone extremo non ipse spectatores adloqueretur praedicator, veram fabellam audisse tibi videreris.

Eadem dicere possem de *L'Entrée de table*; in priore parte tantum faceta consilia invenies; in altera autem, narrator fit praedicator :

Je viens tout droit d'une maison,
Où j'ay veu, dedans la cuisine,
Ung galant avec la meschine; etc.

Saepe etiam non unam sed plures fabellas in eodem sermone legimus; sic sacrae orationi multa adhibebantur *exempla.* Quatuor narratiunculae, in illum cui titulus est *L'Andouille*, inseruntur; diceres parvas tabellas una lignea forma inclusas :

V. 9. *Pendant que je suis de loisir,*
Je vous veulx raconter et dire
Une histoire où prendrez plaisir,
Et qui vous fera, je croy rire.
C'est de deux mignonnes bourgeoises...
V. 55. *Un homme, ayant pris une veufve...*
V. 73. *Un jeune gars, de franc courage,*
Print une garce de village...
V. 123. *Mais compter vous veulx aultre affaire :*
C'est d'un monsieur de nostre rue...

Eamdem explicandi rationem notandam habemus in illo poemate quod, auctore E. Picot, non immerito inter *Sermones jocosos* collocavimus : *Les Droits nouveaulx establis sur les femmes* [1]. Hic, postquam de mulieribus multas facetias fecit praedicator, fabellas enarrat :

V. 112. *Changeons propos, il en est temps,*
Et si parlons d'autre matière :
... Mais à tous je vous fais prière
Que le cas d'un povre gallant
Vous retenez en vos mémoires,
Ainsi qu'orrez cy en suivant.
V. 224. *Une question je vous vueil faire*
D'ung gallant qui se maria.....
V. 360. *Deux gallantz furent amoureux*
De la maistresse et chamberière.....

Denique scenicam formam clarius praebent illi *Sermones jocosi* qui a *Stultis* ipsis in theatro recitabantur : *Monologue des nouveaux sots de la joyeuse bande* [2]; — *Monologue des sots joyeulx de la Nouvelle Bande* [3]; — *Sermon joyeux et de grande value, A tous les sots qui sont dessoubs la nue* [4]. Hic vero non eisdem artibus utitur poeta. Nam de *Stultis* agitur, de eorum natura, indole, virtutibus. Tum ad propositam rem exacte explendam, longas et jocosas enumerationes evolvit *praedicator*, quarum duplex est genus : *Stultorum* varietas, — et singulae dapes quas in solemni convivio stulti illi sumpturi sunt. In primo et secundo sermone, per ordinem et singillatim omnes stultos per-

1. Montaiglon, II, p. 123; E. Picot, n° 18.
2. *Id.*, I, p. 11; E. Picot, n° 41.
3. *Id.*, III, p. 11; E. Picot, n° 42.
4. Viollet-le-Duc, II, p. 207; E. Picot, n° 43.

censet poeta qui risum movet verborum composita reversione, — atque haud nescis quantum illius aetatis homines tale facetiarum genus gustaverint. Quae stultorum enumeratio hic unum et quadraginta, illic sexaginta octo versus occupat. Convivii descriptio eadem ratione evolvitur : dapes, potiones, sine ullo delectu, simul occurrunt. Sed in tertio sermone (*S. joyeux et de grande value*...) qui ejusdem facetiae recentiorem formam ostendit, non per versus et sine commentario enumerantur singuli Stulti, sed ingeniosius et acutius unaquaeque describitur species. Nonne vere jucunda et tersa est haec amantium pictura?

Je trouve aussi à mon propos
Une autre quantité de folz
Qui s'en vont de nuyt par les rues,
Estendant les colz comme grues,
Et regardant par les fenestres
S'ilz verront point dedans les estres
Celles de qui sont amoureux.
Hélas! pouvres sots malheureux,
N'estes-vous pas bien abusez,
Foulx, estourdiz et incensez,
D'estre, tant comme la nuyt dure,
A la pluye, au vent, à froydure,
Les dentz cliquetans à la gorge,
Aussi dru que marteau de forge[1].....

Atque hi versus de *quantitate stultorum*, ut ipsius scriptoris verba usurpem :

Les Lombards, selon leurs usages,
Sont foulx par force d'être saiges,

1. Viollet-le-Duc, II, p. 212.

Les Alemans sont au contraire :
Ils sont foulx par force de boyre ;
Mais qu'ilz ayent bien mouillé la gorge
Ilz sont vaillans comme sainct George [1].

Ne plura dicam, duos *Sermonis jocosi* adspectus invenimus, si eorum materiam et res evolvendi rationem consideramus. Alii in templo e clericorum *farciis* et ludis nati, inter vetustissimos annumerandi sunt; alii a joculatoribus aut a poetis ad scenicam recitationem scripti, recentiores esse nobis videntur. — De illo qui inscribitur *Sermon joyeulx de Bien Boyre*, cui singularis est forma, alio in loco disseram.

1. Viollet-le-Duc, II, p. 214.

CAPUT IV

SCENICI SOLILOQUII QUAE SIT PROPRIA ORIGO

Difficilius quidem erit *soliloquii scenici* (illud soliloquium designo quod sacrae orationis textum et divisiones non sibi adhibere solet) originem variam repetere et dispersos captare fontes. Quod tamen operae pretium est pedetentim inquirere.

§ I. — **De popularibus ludis et facetiis.**

Festus agitur dies; turba vagatur desidiosa, ad omnes jocos vel ad ineptissimos parata. Hic exstruuntur nescio cujus histrionis pulpita. Monstratur ursus aut simius aliquis, cujus dominus et magister ad se otiosum quemque clamoribus advocat. Quid narrat? forsan qua in regione remotissima, quo mirabili periculo, animal illud deprehenderit, quibusque rationibus educaverit. — Illic, *circulator*

remedia ad omnes morbos sanandos apta venditat : quot regiones jam transgressus est ! Quot homines, et inter praecipuos, sanavit ! — Sed nos audientes deturbat vox quaedam jocosa : in theatri limine primo, buffo vulgus deambulans allicit et captat, narrando facetam fabellam cujus se ipsum magnam partem fuisse affirmat.

Haec omnia, omnibus temporibus, in nostris festis, quotidie audienda fuerunt. Quae ventus plerumque miscet et aufert.

Sed olim, nescio quis poeta, in illa turba ipse perambulans, ipse buffonum, magorum vel athletarum sonorissimis verbis captus, ineptias illas jocosas et acutas, ne dicam obscenas, colligere, emendare, ad certam denique formam redigere in animo habuit. Inde ad nos pervenerunt quaedam *soliloquia*, ut illa quae inscribuntur *La Goutte en l'Aine*, *Le Diz de l'Erberie*, *La Fille batelière*, etc. Quae quidem, inter omnia, in ipso fonte deprehenduntur. Mutatis hominibus et rebus, non mutatae sunt istiusmodi facetiae, et quae nunc in plateis nostris percipimus, eadem jam audiebant Graeci aut Romani. Attamen non exstiterunt, ut opinor, illarum facetiarum plurimae perscriptiones, nisi apud nos recentiores. Nam veteres aut majores nostri quasi sub divo vitam agebant. Aures, credo, satiatas popularibus illis ludis habebant, nedum apud poetas ejusdem rei novam formam inquirerent. Tardius igitur scriptae sunt illae *circulatorum* aut *buffonum* jocosae orationes, cum ad scenam alimenta nova quaesiverunt xv[mi] seculi poetae; qui nihil quidem ex integro creaverunt, sed tantum seu fabellas, seu usitatas facetias accuratius aptiusque conditas in theatrum proferre solebant.

Non aliter, ut mihi videtur, omnium fere aetatum egerunt comicarum fabularum scriptores. Etenim cum Menander in scenam produxit parasitos illos et gloriosos milites, lenones et servos, quorum personas sibi adhibuerunt latini poetae, apud plebem, credo, jamdudum vigebant de eisdem rebus et moribus populares facetiae. Atque, quanquam e Graeco fonte hauriebat Plautus suas comoedias, tamen constat perurbanum illum poetam multos vere latinos sales addidisse, quos in medio foro histriones et mimi saepissime produxerant.

Itaque, et apud veteres, et apud nos, rara sunt exempla popularium facetiarum sub nativa et quasi vernacula forma quae jampridem in plateis et in pulpitis valuit. Nam comoedia haec omnia collegit et ad novam alienamque speciem redegit; quae species sola durare potuit. Attamen, inter *Herondae mimiambos*, unum invenimus cui titulus est Πορνοβόσκος [1] in quo *leno* apparet ille qui tot tantasque partes agit apud comicos poetas. Neque haud procul absim quin affirmem Herondam, ut Theocritus exquisitissima quidem arte rusticos mores et cantus urbanissimis emunctissimisque lectoribus proferebat, ita populares usus et platearum spectacula imitatum esse.

Immo; in media aetate, antequam certis diebus Stulti aut Scholastici ludos scenicos edidissent, per urbes et castella vadebant joculatores illi quos veterum mimorum quasi heredes fuisse constat. Etenim usque ad nos recentiores pertulerunt omnes jocandi ridendique formas quibus Latini jam saturati erant, et quas forsan omnino dereli-

1. *Herondae Mimiambi*, ed. Otto Crusius, Teubner, 1892, p. 12.

quissent, ni novos et novarum rerum curiosos invenissent populos. Germani quidem, — quod attente notandum est, — secum lyrica carmina ferebant epicamque materiam; atque in illis poematibus quae heroum gesta praeclarasque clades extollunt, germanicum viget ingenium; in gallicam tellurem insita est stirps nova, quae luxuriavit. Sed subactorum populorum ludos, facetias, sales, omnia quae ad risum movendum pertinent, propriis salibus et facetiis derelictis, sibi sumpserunt Germani. Neque mirandum est. Nam in majorum memoria, in patrum gestis et claris vocibus, in antiquissimis gloriae nostrae testimoniis, illos solemus inquirere motus et affectus qui nos praesentes ad heroum vestigia urgenda impellunt; risus autem semper et ubique inauditis et inopinatis rebus excitatur.

Joculatores igitur omnia quae jam audiverant Latini iterare potuerunt. Atque si eorum jocos haberemus scriptos, sine dubio nobis appareret materia *soliloquiorum* quae famulos, famulas, mulieres de se ipsis disserentibus producunt; in quibus, credo, legeremus usitatas obscenitates, notissimas fabellas, atque has diversissimarum rerum enumerationes quae tantum media aetate valuerunt. Animadvertendum est enim omnino praeterita fuisse illa quae *joculatorum tempora* dici possunt, cum prima eduntur *soliloquia*, quae totam illorum quasi hereditatem obtinuerunt.

Si quidem illius Soliloquii originem repetimus quod circulatorem aliquem vel famulum profert artes et artificia explicantem, affirmare licet et vetustissimum esse genus et apud omnes populos floruisse.

Nam joculatores illi Aquitani qui *troubadours* appellantur, saepissime, vel facete, vel per invidiam, scientiam suam et artem propriis versibus laudaverunt, ad poeticam formam redigentes disputationes et rixas non semel in tabernaria vel in plateis ortas. *Fabella* cui titulus est *Les deux bordeors* seu *Les deux Troveors ribaudz*, illius perantiqui generis recentiorem videtur praebere formam [1]. Sed jam apud Guillelmum *de Poitiers* qui lyrici poeseos quasi conditor habetur, legere posses hoc carmen sic incipiens :

Ben voill que sapchon li plusors...,

in quo enumerantur diversissimae recitationis materiae [2].

Immo, et in Hispania, et in Italia, ejusdem generis poemata invenires, de quibus acutissime disseruit Pio Rajna [3]. Qui vir eruditissimus, — postquam memoravit plura exstare carmina ex eisdem popularibus fontibus orta, joculatorum scilicet e disputationibus, — ineditum perpendit illud quod inscribitur : *Il Cantare dei Cantari*. Poeta quidam singillatim enumerat omnia quae canere valeat, de omnibus gestis et heroibus, ab orbe creato usque ad Sylvestrum Papam : vetus novumque Testamentum, Trojam, Thebas, Athenas, Romam, Britanniam (*Table Ronde*), Galliam (*Charlemagne*).

Magis autem ad praesentem materiam pertinet *Il Serventese del Maestro di tutte l'arti*; in quo eamdem

1. Montaiglon-Raynaud, *Recueil général de Fabliaux*, I, 1.
2. *Hist. litt.*, XIII, 42.
3. *Il Cantare dei Cantari e il Serventese del Maestro di Tutti l'Arti* (*Zeitschrift für romanische Philologie*, II, 220, 419; V, 1).

enumerandi rationem miramur quam in nostris Soliloquiis : *Maître Hambrelin*, *Varlet à louer*, etc. Existimat vero P. Rajna carmen illud e Provincia nostra evasisse; nam plures versus praebet quos conferre posses cum *Raimundi Avenici* poemate cui *E. Picot* titulum imposuit : *L'homme qui sait tout faire*. Sed ipse *Raimundus Avenicus* tritissimam quamdem facetiam in histrionum jocis usurpavit; qui histriones jam a longo tempore eosdem jocos alii aliis transmittebant. Itali et Aquitani poetae eadem verba in popularibus pulpitis enuntiata audiverunt et separatim fere similia exstruerunt soliloquia. Apud Germanos etiam apparet *Meister Irregank*[1]; ut nostri famuli semper : *Je sçay... je sçay*,... iterum dicunt, et totam artium varietatem indefessa voce exsequuntur, ita *Meister Irregank*, qui per omnes regiones vagus erravit, infinitum rerum et artium curriculum perfecit : *Sage unde Singen, Laufen unde Springen...*

Addit P. Rajna ipsum illius operis (*Il servantese del Maestro di tutte l'arti*) numerum vere popularem esse, et inter omnes antiquum[2]. De quo refert haec ab *Antonio da Tempo* scripta : «.... Servit omnibus hominibus et non habentibus subtiliorem intellectum, scilicet mechanicis et rusticis. Nam ille modus rithmandi magis placet hominibus non subtilibus in hujusmodi, et eorum auribus magis applaudit quam alii modi, de quibus supra dictum est, quia magis est latinus et facilior[3]. »

1. Von der Hagen, *Gesammtabent*, n° LVI, III, 83.
2. Quaeque *stropha* (prima excepta) quinque versibus constat; ultimus, brevior.
3. P. Rajna, *Zeitschrift*, V, p. 6.

Ut bene sentias quantum Soliloquiis nostris simile sit illud poema, versus nonnullos expromam :

II. Heo so bene esser cavaleri, 7
Et doncello, *et* bo scuderi,
Mercadante andari a feri,
Cambiatore *et* usurieri,
Et so pensare.

III. So piatarj *et* avocare,
Clericu so *et* so cantare,
Fisica saczo et medicare,
Et so di rampognj, et so zollare,
Et bo sartore.

IV. Orfo so *et* dipintore,
De veggi *et* diche facitori,
Maestro de petre *et* muratorj,
Bifolco so *et* lavoratore,
Et cabolaro.

. . . .

VIII. Multo fo ben un canestro, 37.
Selle *et* cingle *et* un cavestro,
So trare d'arco *et* de balestro,
Tingere in verde *et* in celestro,
Et so di scacchi :

IX. Conzari aucelli, afitar brechi,
So far riti *et* gaibe et zachi,
Cerdun *et* stamigne *et* bon fresachi,
Caczar so et prender volpachi,
Et fari moneti.

Legendum est autem (*Zeitschrift*, V, 30-40) totum poema Rajna enim unumquemque versum ita accurate adnotavit ut neglexerit nulla ceterorum illius generis scriptorum

loca praesenti operi conferenda. Sic apparent Marcabruno (*D'Aisso laus Dieu E saint Andrieu,...* etc.), *les Deux Bordeors ribauldz*, Raimundus Avenicus, *Meister Irregank*, Pietro de Corbiac, Giraldus de Cabreira, Giraldus de Calanso, Bertrand de Paris, Guillelmus de Poitiers, *Il Cantare dei Cantari*. Ex tot tantisque similitudinibus haud dubitandum est et vetustissimam et popularem et quasi omnibus regionibus communem fuisse hujus jocandi rationis materiam et formam.

§ II. — De poematibus quae « Dits » inscribuntur.

Multa in media aetate exstant parvula poemata quae seu rei cujusdam virtutes, seu artis et artificum peculiaria merita, laudibus extollunt; gallice *Dits* nominantur [1]. Saepius scenicam fere formam praebent, utpote quae in scholasticorum aut artificum coetibus recitarentur.

Nunc *Parisiensium Ecclesiarum et Monasteriorum* enumerantur nomina, patroni, *legendae* [2]; nunc mercatorum varii clamores, — atque, *personam* loquentem audire nobis videmur :

... Or vous dirai en quele guise
Et en quele manière vont
Cil qui denrées à vendre ont.

. . . .

Tant y a danrées à vendre
Tenir ne me puis de despendre [3].

1. Cf. G. Paris, *Littérat. fr. au moyen âge*, 2e éd., § 106 et 109.
2. H. Bordier, *Églises et Monastères de Paris*, 1856.
3. Franklin, *Rues et Cris de Paris au* XIIIe *siècle*, 1876, p. 153; — Cf. *Dit des rues de Paris*, *Hist. litt.*, XXVII, p. 225.

In illo qui *Dit du Lendit rimé* inscribitur, eamdem dicendi formam, propiorem etiam scenico ludo, miror :

En l'ouneur de marchandie
M'est pris talent que je vous die,
Se il vous plaist, I nouvel dit.
Bonne gent, ce est du Lendit.
. . . .
Je pri Dieu qu'en terre et en mer
Gart tout marcheanz et veille amer :
Sainte Eglyse est d'euz secourue,
Et la povre gent soutenue
A brief parler Diex les gart tous
D'anui, de perte et de courous,
Et si leur doint marchéander
Qu'en Paradis puissent aler,
Et les marchandes aussi
Je pri à Dieu qu'il soit ainsi [1].

Nunc evolvitur omnium rerum series quas *maculae* unius emere posses [2]; nunc feminarum vitia, rarius virtutes; [3] nunc praeclara vina [4].

Sed imprimis scenica specie induuntur *Dicta* quae in solemni aliquo opificum festo recitari solebant : *Dit des Boulangiers* [5], *Dit des Feures* [6], *Dit des Taboureurs* [7]. Nonne crederes joculatorem audire hos versus recitantem, et de propriis sensibus casibusque disserentem ?

1. Franklin. *ibid.*, p. 175.
2. *Dit de la Maille*, Jubinal, *Jongleurs et Trouvères*, p. 101.
3. *Romania*, XV, p. 315, 339; XVI, 389; XVIII, p. 319; — G. Raynaud, *Nouveau dit des Femmes*, Paris, 1886.
4. *Fabliaux*, éd. Montaiglon-Raynaud, II, p. 140; — *Romania*, XI, p. 572.
5. Jubinal, *Jongleurs et Trouvères*, p. 138.
6. *Id.*, p. 128.
7. *Id.*, p. 164.

J'ai mainte parole espandue
Et mainte maille despendue,
Et dedenz taverne et en place;
Encor ferai, cui qu'il desplace,
Car s'on me chace je fuirai,
Et s'on me tue je morrai.
Mais ainz voudrai sanz contredire,
Les boulangiers I biau dit dire...

. . . .

Que dame Diex à la parclose
A bone fin nous doinst venir!
Dites AMEN *por son plesir.*

Nonne etiam spectatores ipsos alloquitur Joculator in *Fabrorum dicto*?

... Et por ce vueil ici proier
A trestoz les feures qui sont,
En quelque leu que il seront,
Quand de cest conte orront la fin,
Qu'il doignent ou argent ou vin
Tout maintenant et sanz respit.
Que Diex les feures mouteplit,
Et lor fames et lor enfanz,
Et lor mesnie et lor serjanz!

Quaedam sunt inter illa poemata quae satirarum modum et vocem usurpant, et quae saepissime in conviviis, in *Podiis* quoque, recitata fuisse affirmare licet : *Le Dit du bourjois bourjon* [1], *Les 24 manières de vilains* [2], *Martin Hapart* [3], *Dan Denier* [4], *Chanson satirique sur les différents*

1. *Hist. litt.*, XXIII, p. 183.
2. *Romania*, XII, p. 20-633.
3. *Fabliaux*, éd. M. R., II, 171.
4. Méon. *Nouv. recueil.*

métiers [1]. Illud satiricum carmen quod proxime nominavi sic incipit :

Bonne gent, l'autre jour dedans mon lit sonjoie...

Atque post dialogum inter *recitantem* et *minorem Fratrem* de diversis artibus et ministeriis interrogantem (qui *dialogus* ab uno dicebatur), haec legimus :

Biau sire, se je ai contre marchans parlé
Et sor les menestrés, sachies, pas ne les hé ;
Povre gent et jongleur eherroient en vilté,
Se marchans n'en avoient plus qu'autre gent pitié.

Inde aperte videmus, ut supra, poema illud a joculatore aliquo fuisse pronuntiatum, auditorum benevolentiam simul et pecuniam exposcente. Quare sui ipsius personam quasi in scenam introducit, et dicendi formis utitur quas inesse in *soliloquio* notamus.

Altera ex parte verum *soliloquium* invenire mihi videor, in illo poemate cui nomen est : *Le Salut d'Enfer*. Hic enim persona, ut in theatro, recens ad inferos iter enarrat, sic incipiens :

Hahai! hahai! je sui venus ;
Saluz vous mande Belzébus,
Et Jupiter et Appolin.
Je vieng d'enfer le droit chemin ;
Noveles conter vous en sai [2]...

Ita ut, ne plura dicam, in ipsis joculatorum operibus jamjam deprehendere liceat nostrum *Scenicum soliloquium* quasi adumbratum.

1. E. du Méril, *Poésies inédites du moyen âge*, 1854, p. 340-349.
2. Jubinal, *Jongleurs et Trouvères*. p. 43 ; Cf. *Le Songe d'Enfer* et *La Voie de Paradis*, R. de Houdan et *La Résurrection de Jenin Landore*, Viollet-le-Duc, II, p. 21.

Sed *Dicta* illa nullum inter *Soliloquia* locum obtineant. Etsi enim joculator, in primis aut in ultimis versibus, pauca de se enuntiat, tamen ipsius nec indolem nec artes describit; tantum rei cujusdam partes explicat, aut artificum industriam extollit et virtutes. Recitator loquitur; non agit histrio.

CAPUT V

QUAE SIT *SCENICI SOLILOQUII* FIGURA

Diversas *Soliloquii scenici* formas ad tria exempla redigere licet.

Nunc enim ficta persona loquitur quae proprios sensus, artes aut artificia ingenue explicat; — nunc enarrat eventum aliquem aut casum in quo primas partes egit; — nunc denique *sola* in theatro quasi parvulam comoediam prodit.

§ I. — De Soliloquiis in quibus proprios sensus detegit persona.

Ante omnia de illis disseram in quibus se ipsam evolvit persona aliqua, sine ulla narratione ad risum movendum addita.

Separatim intueor illa quae, minime jocosa, potius e lyricis carminibus quam e joculatorum ludis evasisse

mihi videntur. Neque mirandum est quod, xv^mo seculo, scriptores qui omnibus modis scenam fere novam nec adultam alere cupiebant, apud lyricos poetas unius et alterius soliloquii materiam quaesiverint. In scenam proferunt amantes, juvenes aut mulieres, qui tot tamque dolentes querelas jam exquisitis urbanissimisque versibus effuderant. Quod lyricum genus in aulis aut in castellis, politissimos inter optimates et mulieres, multum vigebat; valebat etiam apud studiosos eruditosque viros qui in *Podiis* conveniebant. Sed, in theatro, apud jocosos et omni loco oriundos spectatores, minime successit; vel potius brevi ad alteram formam processit, et quae primum *amans* ille graviter enuntiaverat, mox omnino in jocularem sensum traducta sunt.

Lyricum enim fontem facile deprehendas, ut opinor, in illis Soliloquiis qui inscribuntur : *La femme mocqueresse mocquée* et *une Dame fort amoureuse d'ung sien amy*[1]. — In priore Soliloquio mulierem audimus de *amante*[2] querentem; in altero, mulierem de amore suo exsultantem. Quae sunt lyricae materiae, non scenicae. Quanquam *Rog. de Collerye* plurimos in jocoso dicendi genere modos usitatos sibi sumpsit (ut verborum agglomerationem, et longam seriem sic incipientem : *L'un dict très bien, l'autre faict rage*; *L'ung ne dict mot, l'autre s'essaye*, etc... quae per quadraginta versus ducitur), tamen in neutro horum quae supra nominavi soliloquiorum

1. Roger de Collerye, éd. d'Héricault, p. 73.
2. *De amante queritur, non de marito*, cf. v, 89, 99, 157; — Haud jure igitur scripsit E. Picot : « *Une femme qui après avoir fait la fière est tombée entre les mains d'un* MARI *grossier et brutal.* »

apparent illae facetiae et obscenitates quibus cetera redundare solent.

Mera quoque, quamvis fere exoleta, inest lyrica pars quaedam in illo cuï titulus est : *La Chambrière dépourvue du mal d'amours* aut *Sermon joyeulx de la Fille Esgarée* [1]. Nam, persona mutata, mutatis etiam facetiis huic personae quasi adaptatis, de amore doloso superesset residua querela, quam materiam saepissime tractaverunt lyrici poetae. Attamen illud soliloquium rectius inter ea numeratur quae famularum mores, artes et vitia describunt.

§ II. — De Soliloquiis in quibus suas artes evolvit ipsa persona.

Ad nos occurrunt tumultuosi et loquaces illi *circulatores* qui, nescio quae remedia venditantes, de omni re scibili et de quibusdam aliis, uno temporis puncto, facunde disserunt. Ut supra dixi, veterrima ab origine decurrunt illa poemata, quorum tria exempla usque ad nos pervenerunt : *La Goutte en l'aisne* [2], *le Diz de l'Erberie* [3], *la Fille Batelière* [4]. Eisdem explicandi rationibus utuntur : qui sint, quo e loco patriaque orti, quas regiones vel ignotissimas percurrerint, quae sint peculiares et mirandae virtutes medicamentorum suorum.

Sed de vera illius *Dicti de l'Erberie* natura disputatur. Omnino supervacaneum esse mihi videtur inquirere utrum

1. E. Picot, n° 51; Le Roux de Lincy, III, n° 43.
2. E. Picot, n° 58; Rutebeuf, éd. Jubinal, 1874, III, 192.
3. E. Picot, n° 57; Rutebeuf, II, 51.
4. E. Picot, n° 66; Le Roux de Lincy, I, n° 1.

poeta ipse talia in plateis clamaverit, an joculator? Constat (nec quidquam addendum est) vere scenicam esse illius soliloquii formam : adest circulator, spectatores adloquitur, remedia sua quasi manibus versat. Nunquam fortasse in scena aut in pulpitis recitatum est; recitationi autem scenicae congruit. — Ate nim, in illo inest pars quaedam sermone pedestri scripta? Quod et in aliis ejusdem generis poematibus invenires. Sed cum in omnibus istiusmodi Soliloquiis includitur intra duas versificatas partes pars illa quae non carminis legibus implicatur[1], hic contra quasi duo soliloquia habemus, unum versibus, alterum soluta oratione conditum. Utrumque sibi ipsi sufficeret; in utroque eadem inveniuntur. Neque tamen affirmare auderem nobis poetam tradidisse duas diversasque ejusdem jocosae orationis formas; sed libentius existimo illud poema non omnino absolutum esse, ita ut sub oculis habeamus et *materiam*, audito vel dictante ipso circulatore, scriptam, et priorem ejus materiae partem jam ad carminis leges redactam. — Sic contrarias de illo *Soliloquio* opiniones componeremus.

Absolutam contra speciem profert *Soliloquium* quod inscribitur *la Fille Batelière*, in quo perfectissimam buffonum circulatorumque imitationem miramur. Nam ipsa persona indolem moresque proprios explicat; narrat qua ratione magistri sui famula facta sit; regiones jam a se exploratas memorat, in quibus remedia et medicamenta sua seu collegit seu venditavit. Adde quod, ut canem

1. Cf. Ém. Picot, n° 8, *Saint Frappe-Cul*; n° 9, *Saint Velu*; n° 27, *Les Friponniers et Friponnières.*

omnium ludorum peritum monstret [1], orationem suam scindit.

Circulatoribus perfacete junxit E. Picot illos famulos illasque famulas, qui virtutes suas et artes, ne dicam stultitiam saepius et vitia, ingenue et procaciter evolvunt. Quod genus inter omnia, credo, plebem delectavit; nam plurima ad nos pervenerunt exempla : *L'homme qui sait tout faire* [2], — *Les ditz de Maistre Aliborum, qui de tout se mesle* [3], — *Watelet de tous mestiers* [4], — *Maistre Hambrelin, serviteur de Maistre Aliborum, cousin germain de Pacolet* [5], — *Varlet à louer à tout faire* [6], — *Chambrière à louer à tout faire* [7], — *Monologue d'un Clerc de Taverne* [8].

Ultimo excepto, in omnibus eamdem risum movendi rationem invenies. Famulus aliquis ad omnia exercenda paratum se praebet, vel ad eas res quas diligentissimus famulus ignorare posset, atque reipsa nihil agit, a nullo domino conducitur. *Aliborum* omnium ejus generis soliloquiorum quasi affabulationem educit, sic querens :

Quant j'y pense, je ne sçay quel mestier
Je doy faire, n'auquel pour le premier
Doy commencer; l'ung et l'autre me trouble :
Ung homme n'a besoing que d'ung mestier,
Et, si le sert de bon vouloir entier,
Il luy donra tousjours sa vie au double.

1. E. Picot : « Après avoir montré un chien savant « vestu de quelque toylle de coulleur », elle « remonte sus une sécabellé » et reprend l'énumération de ses drogues ». N° 66.
2. E. Picot, n° 59; Bartsch, *Chrestom. prov.*, 4e éd., p. 209.
3. E. Picot, n° 60; Montaiglon, I, 33.
4. E. Picot, n° 61; Montaiglon, XIII, p. 154.
5. E. Picot, n° 62; Montaiglon, XIII, p. 170.
6. E. Picot, n° 63; Montaiglon, I, 73.
7. E. Picot, n° 64; Montaiglon, I, 89.
8. E. Picot, n° 65; Montaiglon, XI, 46.

L'homme inconstant mestier sur mestier double;
De son estat jamais ne se contente;
Mais ung constant d'ung mestier ne se trouble,
Dont à la fin acquiert dèvance et rente [1].

Ceteri autem (*Hambrelin*, *Watelet*, *Varlet à louer*, *Chambrière*...), non ipsi se ineptos esse sentiunt, et servantur ad imum quales ab initio processerunt; quo magis nos delectant, nobis ipsis judicandi oblectationem permittentes. — Si propius res evolvendi modum consideramus, haec notanda sunt : poeta studet coacervare verbis verba, repentina et inopinata successione; quae verborum series, a loquacissimo aliquo et subtili histrione pronuntiata, ipso sonitu et quasi linguae crepitu auditorum aures jocose titillabat :

Je sçay tailler une chemise
Faire bombardes et canons,
Feu gréjois, lances, confanons,
Brigandines et ribaudequines,
Espieux de cache et dolequin;
Faire escu, pavois et talloches,
Patins à rouelle et galloches,... etc... [2].

— *Je sçay humer laict doux et sur;*
Je sçay peindre d'or et d'azur
Et piller pois en une jatte;
Je sçay courir la poste en hatte;
Je suis bon maistre rasenaire;
Je sçay batre, fouir une aire,
Venner, brasser houppe, gaudalle
Et hacquebat; faire une malle,
Selles, brides, poitras, harnas,... [3].

1. Montaiglon, I, p. 41.
2. *Watelet de tous mestiers*, v. 78-84; Montaiglon, XIII, 161.
3. *Maistre Hambrelin*, v. 43-51; Montaiglon, XIII, 174.

Haec omnia, ut vides, temere et confuse, consilio quidem, enumerantur. Atque cum putas jam artium diversitatem exhaustam esse, de integro et loquacius novum rerum ordinem persequitur famulus ille mirandus! Semper addit : *je sçay... je sçay...* ita ut *je sçay* quinquies et vicies *Watelet* iterum dicat, atque *Maistre Hambrelin* fere centies! In recentioribus hujus materiae formis, majorem locum obtinent res obscenae, quas frustra quaeras in *Aliborum* et in *Hambrelin*. — Quae pars magis etiam amplificatur in Soliloquiis quae occupat *famula*. Primum enim poetae licuit omnes usitatas de mulieribus facetias iterare, — deinde cum illa *Chambrière à louer* se *ad omnia* aptam esse profiteatur, hic et illic ancipitibus verbis utitur; immo, non semel aperte artes suas pudendas evolvit. Plerumque quidem omnino inficetae sunt istius ancillae facetiae; ut in prioribus soliloquiis, agglomeratio verborum et miranda rerum copia nobis taedio sunt. Attamen lascivam tersamque descriptionem legendam habemus, cum quibus artificiis dominum amantem alliciat et spoliet nos docet illa :

S'il advient qu'il soit un peu vieux
Et j'apperçois qu'il me regarde,
Tout soudain je jette une œillade
Affin de le mettre en humeur ;
Puis, voyant qu'il y a le cœur
Et qu'il me monstre bon visage,
Pour bien jouer mon personnage,
C'est lors que je desploye mon art
Pour tirer de luy, tost ou tard,
Soubz ombre d'une amitié feinte
Quelque demi-ceint ou estreinte

Pour me faire mieux valloir.
Ce fait, je me mets en devoir
De faire plus la reserrée
Qu'une mulle bien réparée
Qui aura servi cinquante ans.
Cependant je passe le temps,
Attrapant tousjours quelque chose [1]....

Nescio an duo Soliloquia quae scripsit Christophorus Burdigalensis [2] (*Varlet à louer — Chambrière à louer*) nunquam in theatro apparuerint? Nam praescriptum illius generis modum excedunt. Prius fere quadringentos comprehendit versus, alterum plus quam quingentos. Sed hic et illic collectas de ea re facetias operose exaggeravit.

Jam descripsimus *La Chambrière despourvue du mal d'amours* [3]; nec solum in *farsis*, sed etiam in XVII^mi^ seculi, vel XVIII^mi^, jocosis scriptis, fere innumerabiles sunt de ancillis earumque moribus et artificiis satirae [4].

Reipsa autem in scena recitatum est, et quale ad nos pervenit, hoc *Soliloquium* : *Le Clerc de Taverne*, quod inter perfectissima ponerem. In quo et communia de tabernis invenimus, et quaedam ad res praesentes pertinentia [5]. Neque illa persona ineptam verborum copiam, ut famuli et famulae, temere effundit; *tabernarius clericus* se ipse exacte definit, et has res tantum enumerat, vina, dapes, omni genere voluptates, quas in taberna, non alio in loco, reperire queas. Adde quod vivide et expresse

1. *Chambrière à louer*, v. 242-255; Montaiglon, I, 98.
2. Cf. E. Picot, *Romania*, XVI, 508.
3. Cf. p. 57.
4. Viollet-le-Duc, II, n° 48, 49, 50; E. Fournier, *Variétés historiques et littéraires*, I, n° 24; II, n° 47; III, n° 67; V, n°s 131, 136; VII, n° 179; X, n° 251; — Tabarin (éd. G. Aventin), II, n° 12.
5. *De tabernis*, cf. Montaiglon, VI, 171-179; XI, 34-46.

omnia depingit, descriptionique perfacetam morum satiram immiscet, — ita ut excellentissimae comoediae in illo *Soliloquio* proprias virtutes miremur, scilicet unius aetatis picturam et simul universam significationem.

In eodem genere adnumerare debemus illa *Soliloquia* quae gloriosos milites in scenam proferunt, uno excepto, quod *Le Frañc archier de Baignolet* inscribitur; cujus de natura et arte mox disputaturi sumus. Cetera, *Le Franc Archier de Cherré* [1], *Le Pionnier de Seurdre* [2] et *Le Gendarme Cassé* (vel *Monologue des Perrucques*) [3], propius accedunt poematibus in quibus propriam indolem jocose et procaciter aperit persona.

Quorum primum a poeta quodam scriptum esse putarem, qui Latinorum comoedias notissimas habebat et apte imitabatur. Cum copiose et ore rotundo virtutes suas enumerat et facinora miranda expromit ille *Jacquet*, Pyrgopolinicem aut Thrasonem audire mihi videor. Jam vero plurimi sunt loci quos inter optimas comici theatri inventiones haud injuria retineres. Ne quidquid dicam de Rege gloriosum militem gratulante et honoribus adornante, — sic queritur noster miles quod, in pago, cives sui tanta licentia in se victorem et regis ipsius familiarem utantur :

Ilz n'ont ne honte ne effroy
De marcher o moy pas à pas
Et me prendre par soulz le bras
Propre là où le Roy me print! [4]

Atque quam facete depingit reditum suum apud cives,

1. Ém. Picot, n° 69; Montaiglon, XIII, p. 18.
2. Ed. E. Picot, Paris, Techener, 1896.
3. Coquillart, éd. d'Héricault, II, p. 263.
4. Montaiglon, XIII, v. 255-59.

et qua virtute trepidantes paganos vexaverit, — quae sic concludit :

Par la mort bieu, j'en tremble encore
De la fierté de mon couraige ![1]

Denique, finem faciens ipsas spectatorum irrisiones et denegationes ad scenicam vim vertit, — unde asserendum est illud poema in scena recitatum fuisse.

Satira potius, fateor, quam *soliloquium* esse videtur *Le Gendarme Cassé*. Attamen, scenicae declamationi non omnino repugnat, et illud libentius existimarem in *Podio* aliquo, quam in theatro, apparuisse. Etenim in primis et in ultimis versibus auditores, non lectores, affatur poeta. Militis indoles evolvitur eisdem rationibus quas in omnibus soliloquiis invenias : rerum serie, exiguis acutisque descriptionibus; — quod si maximum locum obtinet satira, tamen ad emeriti militis mores explicandos pertinent insectationes illae in monachos desidia saginatos, in juvenes vestitu suo et cultu unice impeditos, in mulieres libidinosam vitam agentes.

Itaque, quanquam ad quadringentos versus ducitur, non dubito tale opus, in quo continuo adest et de se ipsa loquitur *persona*, inter *Scenica Soliloquia* adscribere.

§ III. — De Soliloquiis eventum aliquem in scenam proferentibus.

Nunc haec Soliloquia perpendamus quae alteram quamdam et recentiorem, ut opinor, partem complectuntur, —

1. Montaiglon, XIII, 18, v. 421.

in quibus persona non tantum se ipsa describit, sed narrat eventum aliquem e quo bene aut male evaserit.

Jam in *Sermonibus jocosis* quibusdam, audivimus *praedicatorem* exiguam brevemque fabellam exponentem; veri praedicatoris instar, exempla proferebat, facetiarum suarum generi accommodata. Nulla autem in illis fabellis inerat scenica vis; immo potius meram Jocosi sermonis naturam, si illos consideraverimus qui in theatro dicebantur, adulterabat : nam fabella quasi allectus, propositum suum paulatim derelinquebat orator. — In *Soliloquiis* contra, adest homo quidam, proprio habitu et vestitu, qui peculiares mores primum, deinde eventum quemdam in quo primas partes ipse nuper egit, nobis quasi occurrentibus et forte obviis, singillatim exponit. Hic igitur omnia ad scenicam speciem pertinent; hoc unum deest, in scena ipsa eventum illum geri, — quod quidem mox inventuri sumus.

Sex hujus generis exempla exstant : *La Fortune d'amours* [1]; — *La Botte de Foin* [2]; — *Le Puys* [3]; — *L'Amoureux qui demoura trois heures pendu à une fenestre...* [4]; — *L'Amoureux qui par Fortune fut pendu à une gouttière* [5]...; — *Le Résolu* [6]... Quibus addere possumus, quamvis potius inter illa enumeranda essent quae de amore et de mulieribus jocose disserunt, nisi ipsa quoque

1. E. Picot, n° 46.
2. E. Picot, n° 47; Coquillart, éd. d'Héricault, II, 204.
3. E. Picot, n° 48; *Id.*, II, 243.
4. E. Picot, n° 49.
5. E. Picot, n° 50.
6. E. Picot, n° 53. — R. de Collerye, éd. d'Héricault, 59.

fabellam comprehenderent : — *Le Despuceleur de Nourrices*[1], — et *Le Ramoneur de Cheminées*[2].

Haud ignoro a quibusdam, et inter locupletissimos auctores annumerandis, *Soliloquia* quae seu ab ipso Coquillardo seu ab ejus imitatoribus scripta sunt, omnino respui; ad theatrum non pertinent, ut aiunt. Quorum in sententiam libenter eo. Sed constat parvulas narrationes, in quibus amans aliquis a marito deprehensus vix evadit et in inopinatos casus concidit, multum apud plebem valuisse. Jam supra vidimus in quosdam *Sermones jocosos* fabellas insertas fuisse. Omnes igitur qui ludorum suorum materiam quaesiverunt, praesto habuerunt, ut ita dicam, innumerabiles fabellas quas ad theatrum accommodare tentaverunt. Sed eorum inventiones, vix scriptae, memoriaeque potius quam codicibus traditae, vicissim evanescebant; ad ludum novum, nova ejusdem facetiae forma, magis praesentibus rebus apta, exstruebatur, quae ipsa statim cadebat in oblivionem. Inde affirmare licet fere omnia *Soliloquia*, quae typis mandata ad nos venerunt, scripta esse ab eruditis simul et ingeniosis viris ad imitationem quorumdam quae antea magnum locum in scena obtinuerant.

Non est autem cur illa poemata abjiciamus; curiosius contra perpendenda sunt, ut unica fere perditi generis exempla.

Non eadem dicam de illis quae proxime designavi : *Le Despuceleur de Nourrices* et *Le Ramoneur de Cheminées*,

1. E. Picot, n° 52; Montaiglon, VI, 199.
2. E. Picot, n° 54; Montaiglon, I, 235.

quae talia in theatro, ut opinor, exposita fuerunt. Picturis illis similes sunt, quae, lineamentorum rapida vividaque dispositione, colorum incompositis sed nitidis maculis, oculos e longinquo perstringunt, et ad scènae prospectum conveniunt.

Nobis autem recentioribus, inter omnia eminet *Soliloquium* cui titulus est *La Botte de Foin*, quo nihil exquisitius in illo genere mirari possumus. Optime sensit poeta qua ratione *fabellam* illam scenicam efficeret, — quo modo persona non *recitator* aliquis esse videretur, sed viva et singulari indole praedita, — quibus artificiis narrationem sub oculis poneret, ita ut nos ipsi res cernere putaremus. Nam adest homo ille comptus, mundus, cultissimo vestitu ornatus. De se primum loquitur, longe quidem et indulgenter; se ipsum profert et depingit :

Vous semble il point que pour (par) dancer,
Fluter, ou pour (par) parolles fainctes,
Pigner, mirer, ou s'agencer
Un homme se peult advancer
A parvenir à ses actaintes?
. . . .
Ha! par le corps bien, je m'en tiens
De ceulx-là; mais n'en dictes mot.
Je suis toujours gent et mignot
Sus mon cheval qui va le trot,... etc. [1].

Deinde dominam suam describit, sed, ut fit, ad sui ipsius gloriam augendam. Qualis vir, qualem ut habeat dominam! — Atque in hoc praesertim apparet poetae, ut

1. *Le Monologue Coquillart* vel *La Botte de Foin*, éd. d'Héricault, II, p. 204-207.

ita dicam, scenicum ingenium. Nam his verbis dominae descriptionem introducit :

Avez vous point veu cy entrer
N'aguères une godinette,
Qui vient rire, esbatre, dancer?
C'est une petite noirette,
Non pas noirette, mais brunette,
Une mignonne tant sadine,
Une robe d'un gris bien faicte,
D'ung fin gris changeant, bonne myne,
. . . .
Pardonnez-moy, elle n'y est don?
Je cuidoye qu'elle fust céans[1].

Tum maritus depingitur; atque ad dominam revertimur, ut bene sentiamus quam a tali marito differat :

Mais elle, pouac! c'est une fée,
Ung bon petit corset bien prins,
Qui faict aussi bien la saffée
Que femme qui soit au pays :
Tousjours un tas de petiz ris,
Ung tas de petites sournettes,
Tant de petits charivaryz,
Tant de petites façonnettes;
Petits gans, petites mainettes,
Petite bouche à barbeter :
Ba, ba, ba, font ses godinettes
Quant elles veulent caqueter[2].

Ad se autem quasi invitus oculos vertit ille bellus homo; vestitus sui partes omnes enumerat, atque enarrat quo casu, subito mariti reditu, coactus fuerit in horreum

1. Coquillart, p. 208.
2. *Id.*, p. 211.

ascendere atque in foeno condere corpus. Lepidam quidem narrationem! Nam poeta tritam fabellam et pervulgarem, amantem scilicet deprehensum et absconditum, multis modis recreavit et adornavit. Jucundissima est amantis deambulatio in urbis viis; hominem gloriosum cernimus, equum pede labentem, et audimus unius et alterius facetias de illo superbo ineptoque equite. Miror etiam qua arte *Coquillart* renovaverit et ad vividam acutamque formam redegerit tritissimas media aetate enumerationes :

Cestuy cy va, cestuy là vien.
Ceste là cestuy ci vaut bien.
L'une ayme l'autre; l'autre ayme l'une.
L'une blanche, et l'autre trop brune.
Telz et telz, et telles et telles
Ne sont pas trop beaux ne trop belles.
On faict cecy; on faict cela.
On va par cy; on va par là... [1].

Atque, cum noctu in horreo includitur :

Je ne sçavoye tenir manière;
Plus tost (*tantôt*) *couché dessus ces bottes,*
Plus tost dessus la chenevière,
Plus tost je descrotoye mes crottes.
J'avoye les fantasis si sottes,
Que ceste nuict, de pointz en pointz,
Je devisay plus de centz cottes
Et plus de cinquante pourpoints [2].

Animadverte quantum vel minima cum personae indole et moribus congruunt; nam neque de periculo, neque de

1. Coquillart, p. 223.
2. *Id.*, p. 230.

domina sua cogitat amans ille inclusus; varias autem vestitus formas mente evolvit et instruit, vel in somniis. Pergamus autem :

Et sans remuer piedz ne poingz,
Et tout en faisant bonnes mynes,
En songeant de près et de loingz,
Je me prins à dire matines.
Et quand j'en eu bien dit deux lignes,
Je me levay lors sur mes piedz,
Et tout en ployant les eschines
Je voys regarder les clochiers.
Je marquoye plus de cent moutiers
Où ilz n'avoyent esté jamais[1].

Tandem, sub lucem, liberatur. — Non quidem finem faciens spectatorum obliviscitur narrator :

« *A Dieu, madame. — Or, à Dieu don* »,
Dist-elle, mais, ne vous desplaise
Elle est assez fine et maulvaise
D'enquérir se j'en ay rien dict.
Pourtant (pour cela), je vous pris qu'il vous plaise
D'en dissimuler ung petit[2].

Haud dubium est cetera Soliloquia, quae sub Coquillardi nomine false eduntur, ad illius imitationem scripta fuisse. Ipse *Rog. de Collerye* Remensis poetae vestigia secutus est. Omnes autem, si quam fabellam implicare in animo haberent, indolem personae neglexerunt ut eventus et casus congererent. De quo fidem faciunt ipsi tituli : *Le Monologue de l'amoureux qui, en poursuivant ses amours,*

1. Coquillart, p. 231.
2. *Id.*, p. 232.

demeura trois heures à une fenêtre pendu par les bras et enfin se coucha dans un baing, cuidant se coucher en une couchette. — Le Monologue de l'amoureux qui par fortune fut pendu à une gouttière, puis à une perche, sous les robes d'une femme, et se sauva dedans le coffre aux hardes.

Quae Soliloquia, rerum abundantia confusisque casibus, recentiorem narrandi rationem declarant, et magis ex Italorum narratiunculis quam e gallicis ludis et fabellis evaserunt.

§ IV. — « Le Franc Archier de Baignolet ». — « Le Bien et le Mal des Dames ».

Conati sunt autem quidam poetae exiguam illam comoediam, quasi inclusam et compressam in *Soliloquio*, caute quidem et breviter explicare. Quod, fateor, difficile erat. Nam intra strictissimos fines comprehenditur genus illud scenicum, in quo una persona spectatores adloquitur. Plerique, cum genus extendere cuperent, ejus naturam omnino vitiaverunt. Itaque, neque inter Soliloquia ponimus *Le Gaudisseur et le Sot*, neque inter Sermones jocosos *le Sermon joyeulx de Bien boire*; utrumque enim poema duos poscit histriones, — quae scenica forma nobis videtur quasi medium spatium obtinere inter *Soliloquium* et *farsam*.

Optime contra rem expedivit ignotus ille poeta qui nobis tradidit *Le Franc Archier de Baignolet*, quo quidem nihil perfectius invenires.

Qua aetate et a quo scriptum hoc fuerit, tot tantique jam disputaverunt doctissimi viri, ut nihil ego addendum

habeo [1]. Satis erit perpendere cur quibusque rationibus inter omnia tantum emineat illud poema.

Soliloquium simul et *farsa* inscribitur, neque immerito. — Soliloquium : solus enim adest miles gloriosus, solus loquitur; — farsa tamen : nam in scena non modo *loquitur*, sed reipsa *agit*. Qua ratione autem agat, nisi producatur altera persona? In quo quidem elucet miranda poetae ars et inventio. Solus enim est miles; sed nobis obversatur straminea formido in agro defossa, sine vita, sine voce, quae hominis tantum adspectum praebet neque ullo modo ullam partem agit; ille autem miles hostem sibi videre videtur, cujus gesta notat, cujus vocem fere audit. Ita ut, uno histrione introducto, vera comoedia, ut a pluribus personis, agatur.

Adde quod aptissimis indolem evolvendi rationibus utitur poeta. Etenim, audito galli cantu, fortiter et uno impetu in illum ruere paratur miles; hostem contra si vidisse putat, genibus procumbit, caelumque obtestatur. — Praeclara facta jam enumeravit : quot occidit viros! mox autem, mortem reformidans, peccata sua humilis confitetur : neminem trucidavit, nisi gallinas.

Omnia igitur vere scenica effinguntur; et illae narrationes, quae in ceteris Soliloquiis saepissime ad scenicam vim nihil pertinent, et nos auditores habent, non spectatores, hic non narrantur, ut ita dicam, sed sub oculis nostris quasi nascuntur et vivunt.

1. Cf. *Œuvres de Villon*, éd. Jannet, 1873, p. 150; *Id.*, éd. Longnon, 1892; Em. Picot et Ch. Nyrop, *Nouveau recueil des Farces françaises*, 1880, p. 17; Em. Picot, n° 66 *bis*; Petit de Julleville, *Répertoire*, n° 226; *La Comédie et les mœurs*.

Longo quidem intervallo apparet alterum Soliloquium, in quo unus histrio solus tres partes agit : *Monologue fort joyeux auquel sont introduictz deux advocatz et ung juge devant lequel est plaidoyé le bien et le mal des dames*[1]. Ipse *Stultus* se spectatoribus offert :

..... Car vecy la chaire et refuge
Où se soirra Monsieur le Juge
Lequel premièrement joueray.
Et puis après je parferay
Par ordre chascun personnaige,
Mal-Embouché, Gentil-Couraige,
Comme vous venz aux pourchatz[1].

Quid autem vere scenicum in illo poemate invenias? — Nihil, nisi cujusdam *Dicti* scenica adaptatio. Nam omnia de mulieribus usitata argumenta exponuntur, atque ultimi versus indicant Soliloquium illud in convivio fuisse recitatum. Attamen, cum unus histrio tres partes agat, non injuria veri *Saliloquii* nomen usurpat hoc singularis formae *Dictum*.

Quibus autem causis cetera poemata quae supra nominavi (*Sermon joyeulx de Bien boire*, — *Le Gaudisseur et le Sot*) in illud genus de quo disputamus introducere recusem, nunc disserendum est; quod quidem ad veteris nostri theatri origines altius perspiciendas nos adducit.

1. Montaiglon, XI, 176.

CAPUT VI

AN VALEANT POEMATA NOSTRA AD *FARSAE* ORIGINES ILLUSTRANDAS

§ I. — Nobis quidem *farsae* fontes et auctus inquirentibus, hoc imprimis apparet, gallicam scilicet comoediam totam esse nostram. Etenim, si xvi^{mo} seculo veterum aut Italorum scriptorum opera apud poetas nostras ita valuerint ut scenam renovaverint, constat *farsam* in gallica tellure altissimas habere radices.

Tres autem, ni ego fallor, inspiciendi sunt farsae fontes : — primum, populares illae facetiae quae proprie gallicae dicuntur; — deinde, *fabellae*; — denique praesentium morum pictura et descriptio.

Diutissime quidem, narrativam tantum speciem induerant fabellae illae et facetiae, quas Joculatores per vias, a castello ad castellum, deferebant, quasque clerici et scholastici inter se recitabant. Etenim cum milites, ad bellum semper parati et ornati, continuo per se ipsos age-

rent, placida facetaque narratione omnino delectabantur; et clericis satis erat rerum quarum in consuetudine vivebant jocosas invenire vel audire imitationes. Posterius autem, patres nostri, cum, ut ita dicam, adulti facti essent, et juventae vividam ingenuamque perdidissent mentem illam quae sibi ipsa res effingit mirandas et coloratas (ita ut fere narrationis spectatores et actores essent, quod pueris evenire solet), magis significantem describendi pingendique formam repetiverunt. Adde quod jam in omnium memoria vigent facetiae et fabellae quas joculator narrandas habet; quae omnia alter alteri dicit, quae quisque in codicibus scripta legere potest, quae mox typis mandata multis manibus versanda sunt. Tum ab illis qui plausus movere cupiunt artem difficiliorem et sibi ipsis inaccessam exigunt; tum joculator histrio fit; tum narrativae aetati, aetas scenica succedit.

Ne credas autem farsam, illa forma indutam quae xv^mo seculo floret, subito et quasi primo impetu e joculatorum poetarumque manibus evasisse? Lente et operose res orta est.

§ II. — Vidisti *Sermones jocosos* primum facetias tantum usurpantes quae de Sancto aliquo ridiculo, de potione, de mulieribus, omnium per ora volitabant. Mox autem utuntur parvulis narrationibus quae vere *fabellae* nomine sunt dignae. *Soliloquia* primum ex ipsis circulatorum ridendis orationibus oriuntur; deinde famulos famulasve proferunt, denique amantes proprios casus enarrantes vel gloriosos milites. Quibus in soliloquiis duae ad theatrum pertinentes jam elucent partes : indolis cujusdam explicatio,

et fabula. Longius procede : quae unus histrio agebat, inter plures distribuuntur.

Hunc ad comoediam processum in illis poematibus quae inscribuntur : *Sermon Joyeulx de Bien boire*, — et *Le Gaudisseur et le Sot* notandum habemus. Multi enim fuerunt, et inter veterrimos, *Sermones* de potatoribus, qui nihil quidem scenici praebebant nisi ipsam recitationem. Introducta autem altera persona, si *Jocosi sermonis* imitatur vis et natura, magis tamen in theatro valet poema; jam *dialogus* exstat, et vivida disputatio. Sed, coquo illo adempto qui praedicatorem hic et illic obturbat, merus restat *Jocosus sermo*; ita ut reipsa habeamus opus quoddam quod, sub illa forma, jam *Sermonis* fines egressum est, quod quidem farsae nomine vix sed jam dignum esse videatur.

De altero, *Le Gaudisseur et le Sot*, eadem dicam. Etenim, plura legimus soliloquia in quibus amans aliquis, bellus et putidus, se ipse laudibus effert, et proprios casus benevolenter enarrat. Quod si appareat *Stultus* qui jocose contraria contrariis opponat, non jam exstat *Soliloquium*, duobus adstantibus personis, et *farsa* quasi adumbratur.

Itaque, vel auctoribus E. Picot et Petit de Julleville, talia poemata neque inter *Sermones* neque inter *Soliloquia* annumeranda esse existimo.

Adde quod nonnullas legimus *farsas*, fere eadem forma indutas, in quibus nunc viget prioris formae (*Sermonis* scilicet aut *Soliloquii*) quasi secreta vis. Duo, tres, vel plures personae, fateor, proferuntur. Non solum autem ad comicam rerum virtutem augendam inutiles sunt, sed

videntur facetiam quamdam aut fabellam, propria natura in unius ore aptius collocandam, inter se divisisse, — non secus ac si vestimentum uni homini conveniens bipartito vel tripartito frangatur. Sic *Les Cris de Paris* [1]; sic *Le Conseil au Nouveau Marié* [2], qua in farsa omnes usitatae de mulieribus facetiae occurrunt; — neque difficile si *Doctoris* verba ad *Sermonis jocosi* figuram omnino redigere. — Haec quae inscribitur *Le Vendeur de Livres*, in qua plures personae loquuntur, sine dubio *soliloquium* olim fuit, nunc ad theatrum magis conveniens [3]. Nam tibi rem penitus inspicienti apparet enumeratio quaedam per se ipsam jam risum movens : in unius personae ore omnia, nunc divisa, facile collocares. — Eamdem scribendi rationem invenio in his : *La Présentation des Joyaulx* [4], — *Le Gentilhomme et son page* [5].

Aliae quidem ad nos pervenerunt farsae quae suam originem aperte detegunt : — *Le Médecin qui guérit de toutes sortes de maladies et de plusieurs autres* [6], cujus primi versus veri soliloquii esse videntur :

Or faictes paix, je vous en prie,
Affin que m'oyez publier
La science, aussi l'industrie
Que j'ay appris à Montpellier.
J'en arrivay encore hyer
Avec la charge d'un chameau
De drogues...

1. Viollet-le-Duc, II, p. 303.
2. *Id.*, I, p. 1.
3. Le Roux de Lincy, II, n° 17.
4. *Recueil* E. Picot, p. 181-89.
5. Le Roux de Lincy, I, n° 8.
6. *Recueil* Nicolas Rousset, 1re pièce.

Cui conferre possis *Soliloquia* quae inscribuntur : *Le Diz de l'Erberie, La Goutte en l'aine, la Fille batelière...*

— Et *Farse nouvelle très bonne et fort joyeuse, à trois personnages, d'un Pardonneur, d'un Triacleur et d'une Tavernière*[1], in qua duo circulatores, postquam jurgio contenderunt, ad cauponam spoliandam omnino consentiunt. Farsae pars prior e soliloquiis orta est, altera e fabellis.

— Supra vidisti plura ad nos pervenisse *soliloquia* quibus famulus aliquis vel famula virtutes suas enumerat; neque te fugit in soliloquiis illis priorem inesse speciem hujusmodi facetiarum. Deinde magis scenicam receperunt formam, in qua tamen nemo est qui non deprehenderet priorum poematum evolvendi jocandique peculiares modos. Etenim propius ad *soliloquia* accedit haec *Disputatio* : *La Nourrice et la Chambrière*[2]. Utraque persona proprios labores aut virtutes alterius virtutibus et laboribus opponit, et duo *soliloquia* habes quasi permixta. — In illa : *Farce nouvelle des Chambrières qui vont à la messe de cinq heures*[3], et indolis cujusque explicationem, et obscenos jocos reperimus, quos seu in *Sermonibus* seu in *Soliloquiis* legere solemus; atque ultima pars fere ad verbum extrahitur e poemate (false tamen ab E. Picot *Soliloquium* dicto) cui titulus est : *Le Caquet des Bonnes Chambrières*[4].

Si quaerimus de illis farsis in quibus appareat famulus (*Badin, Jenin, Jeninot*), ante omnia nobis occurrit : *Jeninot qui fist un roy de son chat*[5], quam ad farsam duobus, ut

1. Viollet-le-Duc, II, p. 50.
2. *Id.*, II, p. 147.
3. *Id.*, II, p. 435.
4. E. Picot, n° 28.
5. Viollet-le-Duc, I, p. 289.

opinor, soliloquiis usus est poeta. Primum enim illa imitatus est quae famulum producunt artes suas laudantem (*Hambrelin*, *Aliborum*, *Varlet à louer*) :

JENINOT.

Eh quoy doncques? en effect
Vous voulez bien estre mon maistre?

LE MARY.

Oui vroyement, je le veulx bien estre,
Mais que tu soyes bon garçon,
Et que tu saches la façon
De faire tout sans riens faillir.

JENINOT.

Je feray bien le pot bouillir
Ainsi comme une chamberière,
De cela say bien la manière,
Sans point mouiller mon pain dedans;
Cela est à faire à frians;
Je me garde de tel affaire.

LE MARY.

Or sà, dis-moy, que sçais-tu faire?

JENINOT.

Je sçay bien abiller à boire,
Autant au soir comme au matin,
Et si parleray bien latin,
Voire mais c'om me l'apreigne;
Je n'en crains homme qui viengne
Pour estre bien en vitaille.
Etc., etc. [1]

Deinde sibi adhibuit poeta ludum quemdam a joculatore aliquo creatum, quique sine dubio in popularibus pulpitis, ad plebem per plateas deambulantem, saepissime prolatus

1. Viollet-le-Duc, I, p. 291.

est. *Jeninot* enim, solus cum fele, libum dividit cui faba inest; feli sorte obvenit pars, ut ita dicam, regalis; tum *Jeninot* exclamare, felemque, ut mos est, celebrare.

.... Entendez-vous, monsieur le roy,
Serez-vous cy meshui, ou quoy?
Faicts nous un peu de raison;
Tenez, voylà de la boisson;
N'espargnez pas ce vin cleret
(*Icy fault qu'il face boire le chat*)
Le roy boit, le roy boit, le roy boit!
A dea, nostre chat, ho! [1]

Posses etiam, ut mihi videtur, *Soliloquiorum* indicia notare in hac farsa : *Le Badin, la Femme, la Chambrière* [2], in qua non solum insunt multa de famulis quae jam in *soliloquiis* legimus, sed etiam ridicula quaedam *confessio* quae e *Sermone* aliquo *jocoso* evasit [3].

Cum illis quae *militem gloriosum* proferunt (*Franc Archier de Baignolet, Pionnier de Seurdre*) farsas quasdam conferre licet, quae nos docent plura fuisse Soliloquia de militibus errabundis, de inopibus viris, etc. Sic intueor : — *L'Aventureux, Guermouset, Guillot et Renot* [4] : hic congregantur plures *Soliloquiorum* personae; — *Colin, fils de Thénot le Maire* [5] : in scenam producitur unum ex illis facinoribus quae gloriosi milites de se narrare solebant; — *Mallepaye et Baillevent* [6] : duo sunt inter se casus et

1. Viollet-le-Duc, p. 295.
2. *Id.*, I, p. 271.
3. Cf. *Farce de Munyer*, Recueil P. L. Jacob.
4. Le Roux de Lincy, III, n° 15.
5. Viollet-le-Duc, II, 388.
6. *Villon*, éd. Longnon, 1892.

malam fortunam deplorantes, nobiles viri et pauperrimi; fortasse autem jam apparuerat unus aut alter in aliquo *Soliloquio*.

— Altera ex parte populares quasdam facetias et in *Sermonibus* et in *farsis* easdem legimus. Exstat enim *Sermon joyeulx d'un Ramonneur de Cheminées*, et *Farce nouvelle d'un Ramonneur de Cheminées*[1]. Inde haud affirmare dubitarem multos ejusdem generis sales vere gallicos, quos quidem tantum in farsis reperimus, primum *Sermonis jocosi* aut *Soliloquii* formam induisse. — Inter quae opera ponerem : *Les Femmes qui font escurer leurs chaulderons et deffendent que on ne mette la pièce auprès du trou*[2]; — *Farce nouvelle d'un chauldronnier*[3]. — Facetiae in illis farsis inclusae mihi videntur e *Sermone jocoso*, immo e textu aliquo ad ridiculum sensum verso, evasisse. Fere eadem notares in *Saint Billouart, Saint Velu, L'Andouille*,... etc. Atque forsan e *Jocosis Sermonibus* deducta est *La Farce du Pect*[4].

Denique fit ut *Sermo jocosus* aliquis omni ex parte in farsam introductus fuerit. Ineunte enim illa, vere jocosa, quae inscribitur *Frère Guillebert*, frater ipse merum jocosum sermonem profert, dignum qui numeretur inter perfectissima istius generis exemplaria. Textum habet, latinis verbis ridiculis scriptum, enumerationes, consilia, conclusionem. Atque eum jure conferas *Sermonibus* supra designatis : *Saint Billouart* et *L'Andouille*.

1. Viollet-le-Duc, II, p. 189
2. *Id*, II, p. 90.
3. *Id*, II, 105.
4. *Id*, I, p. 94. — Cf. *Les Quatre vents*. Picot, n° 40.

§ III. — Quorsum haec omnia de quibus jam dis serui spectant?

Cum comoedia nostra, media aetate, per se ipsa lente ad scenicam formam pervenerit, non a plebis ore collegerunt poetae facetias quibus ad suos ludos expromendos uti cupiebant. Illas autem jam informatas et ad recitationem quasi accommodatas invenerunt in joculatorum jocis, et imprimis in *Sermonibus jocosis* et *Soliloquiis*. *Sermones* potius sales et obscenitates, *Soliloquia* autem ridiculas indoles se ipsas explicantes praebuerunt. — Sic intervallum illud, quod jacet inter XII^{mum} seculum et XV^{mum}, complebimus. Nam, ut supra non semel notavimus, non ad illos annos quibus typis mandata fuerunt referimus *Soliloquia* nostra, immo *Sermones*. Veteriorem aperte detegunt originem; jam XVI^{mo} seculo litteratos curiososque viros magis alliciunt quam spectatores.

Farsae autem quibus reipsa pluribus personis cum propria indole opus est, ut res agatur et ad finem perveniat, non quidem e *Sermonibus* aut *Soliloquiis* evadunt, sed, ni ego fallor, ex ipsis *fabellis*. Cui generi manifesto proximae sunt, ut exempla nonnulla proferam, haec *farsae* : *Le Cuvier*[1]; — *Un mary jaloux qui veult esprouver sa femme*[2]; — *Naudet*[3]; — *Colin qui loue et despite Dieu en un moment*[4]; — *Frère Guillebert*[5]; — *La Cornette*[6]; — *Georges le Veau*[7]; etc. Nam tota comoedia rueret, si

1. Viollet-le-Duc. I, 32.
2. *Id.* I, 128.
3. *Id.* I, 250.
4. *Id.* I, 224.
5. *Id.* I, 305.
6. Ed. Fournier. *Le théâtre français avant la Renaissance*, p. 438.
7. Viollet-le-Duc. I, 380.

rerum successum et personarum peculiares sensus tolleres. — At enim, paucae sunt *fabellae*, inter illas quae ad nos pervenerunt, quas farsis conferre posses? permulti etiam anni elapsi sunt quibus, *fabellarum* genere jam derelicto, nondum apparent farsae?

Fabellae autem non multae, si quantum genus valuerit haud ignoras, supersunt; — paucae etiam farsae. Atque hoc contendo : inter omnes fabellas quas praesto haberent medii aevi comici poetae, illas tantum elegerunt quae scenicam formam induere possent. Illae contra, quae, seu nimia obscenitate, seu personarum copia locorumque diversitate, seu rerum implicatione aut nimia simplicitate, minime spectatores delectarent, e *fabellae* regionibus et natura, ut ita dicam, non sunt egressae. Sed, cum, ut supra dixi, homines magis atque magis narrativum genus derelinquerent, ut ad scenicas formas se totos conferrent, tum omnino in oblivionem depellebant fabellas quarum haberent recentiorem et sibi aptiorem scenicam figuram. Fabellas illas tantum, ut *fabellas*, retinuerunt, quae jocosae quidem et facetae, non eae erant quae alteram formam acciperent. Ita ut frustra nunc quaereres *fabellas* e quibus ortae sunt nostrae farsae; unde tamen non affirmare licet nihil e fabellis sibi hausisse theatrum.

Sed in illis quoque *farsis* quae fabellae alicujus quasi scenicae adaptationes esse videntur, apparent personae quaedam quarum, ut opinor, *Soliloquia* jam indolem et habitum descripserant et semel constituerant. Omnes enim famuli, omnes famulae et nutrices, omnes mariti mulieresque, omnes milites aut optimates eisdem moribus, ne dicam verbis, utuntur. Mutatur fabulae argumentum; sed

in novam fabulam semper eidem introducuntur indolis habitus. In quo, ut opinor, inspicere potes quantum per totum medium aevum valuerint personae a joculatoribus et *Soliloquiorum* scriptoribus in principio expressae. — Longioris autem operis esset haec quaestio, quae quidem ad rem nostram non tota pertinet.

CONCLUSIO

Forsan et inquiris quae fuerit usque ad nos *Sermonis jocosi* et *Soliloquii* fortuna? — Omnino evanescit publica et scenica rerum sacrarum imitatio, quae tota ad hominum et eventuum satiram vertit. De quo optime disseruerunt Lenient [1] et Novati [2]. Ipsum soliloquium e theatro ejicitur, atque rursus ad circulatorum errabundorumque histrionum pulpita redit. Mutatis moribus illorum qui scenicorum ludorum assidui fiunt spectatores, ipsum etiam mutatur poetarum comoedorumque jocandi genus. Plebs sola, in triviis et plateis, facetiis illis et obscenitatibus delectatur quas in scena exponere non dubitabant prioris aetatis scriptores. Quid? non plebs sola, sed, mirandum,

1. Lenient. *La Satire en France au moyen âge.* — 1 vol. *La Satire en France au XVI[e] siècle*, 2 vol. Hachette.
2. Novati. Studi critici... — Cf. Nisard : *Histoire du Colportage.*

politissimus quisque inter illius temporis optimates accedunt ad buffones illos celeberrimos, *Gautier-Garguille*, *Tabarin*, *Turlupin*, *Mondor*, *Bruscambille*,... etc., qui perantiquum joculatorum thesaurum sibi adhibentes, novam jocosamque formam tritissimis facetiis imposuerant. Nam non omnino perierat, vel antiquis scriptoribus et Italis totum locum in scena obtinentibus, gallicarum facetiarum vernaculus amor. Illi joci, primum per vias et plateas cum joculatoribus vagantes, in theatrum ascenderant; rursus ad nativam popularemque formam revertunt, ad circulatorum pulpita, ad stultorum loquacitatem.

Sed quod in tragoediis comoediisve Soliloquium nominatur, omnino discrepat a genere cui studemus; — hic enim sensus tantum et affectus in proprio pectore quasi depraeliantes emittit persona. — Ut iterum in theatro *Soliloquia* reperiamus quae cum definito supra generi congruant, necesse sit ad illos italicos histriones transire, qui, XVIII^mo^ seculo, mille modis tentaverunt nostrorum comoedorum invidiam eludere. Quid? apud nos viget *Soliloquium*; omnes species induit. Nos, tragoediis comoediisque saturatos, breviter delectant illae narratiunculae aut facetiae, quarum quidem auget et amplificat significationem, saepius ineptam, unus et alter comoedus. Sed potius e cantatis carminibus evaserunt quam e theatro.

Illa iigitur medii aevi poemata singularem et unicum obtinent locum in theatri nostri annalibus.

Nam, nos primum docent quibus rebus delectarentur majores. Atque, ante omnia, nobis esse videntur pristina

veterrimaque forma facetiarum et personarum quibus, ut ita dicam, innutrita est *farsa* nostra.

FINIS

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona, kal. februar. ann. MDCCCXCVII,

Facultatis litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR,

Academiae Parisiensis Rector,

GRÉARD.

INDEX RERUM

PROOEMIUM 1

CAPUT I

SERMONIS JOCOSI ET SCENICI SOLILOQUII VERA DESCRIBITUR FORMA, ET ENUMERANTUR TALI NOMINE DIGNA QUAE NUNC SUPERSUNT POEMATA

§ 1. De sermone jocoso.. 3
§ 2. De scenico soliloquio..................................... 9

CAPUT II

QUIBUS E FONTIBUS PROVENERINT JOCOSI SERMONES

§ 1. Quae fuerit *farcia*, et quomodo ad ridiculam imitationem verterit.. 13
§ 2. Ipsum dicendi genus *praedicatorum* saepius *Jocoso Sermoni* propius accessisse.. 19
§ 3. De *Sermonibus* ante *Misteria* aut *Miracula* recitatis........ 24

CAPUT III

QUAE SIT JOCOSI SERMONIS ARS ET STRUCTURA

§ 1. De textu.. 31
§ 2. Qua ratione explicetur textus et quae sint Sermonis jocosi diversae formae.. 36

CAPUT IV

QUAE SIT SCENICI SOLILOQUII PROPRIA ORIGO

§ 1. De popularibus ludis et facetiis........................... 43
§ 2. De poematibus quae *Dits* inscribuntur.................... 50

CAPUT V

SCENICI SOLILOQUII QUAE SIT FIGURA

§ 1. De soliloquiis in quibus sensus detegit persona........... 55
§ 2. De illis in quibus suas artes evolvit ipsa persona.... 57
§ 3. De soliloquiis eventum aliquem in scenam proferentibus... 64
§ 4. *Le Franc Archier de Baignolet, Le Bien et le Mal des Dames.* 71

CAPUT VI

An valeant poemata nostra ad farsae origines illustrandas......... 75

Conclusio.. 87

Coulommiers. — Imp. Paul BRODARD. — 107-97.